cki
-
gia

Oprawiono w r. 1941.

Ontologia.

Definitio ontologiae est.
Scientia qua considerat Ens ejusque proprietates, ac suprema genera, easque entis supremas rationes, quae in omnibus realibus naturis reperiuntur vel conjunctim vel divisim. —

Ens.

Ens est id quod est seu est essentia existens ut liquet ex eo quod quaerenti utrum palatium faciendum sit ens responderemus erit. Hinc entis conceptus significat essentiam et existentiam; prima enim una ab alia discernitur leo ab equo, secunda essentia in ordine objectivo constituitur. —
Et si ens essentiam existentem significat possumus tum ab existentia praescindere tum ipsam existentiam neque de aliqua essentia. Hoc in casu ens inadequate sumitur.

Ens *adaequate* sumptum seu *essentia* existens sumitur in *vi participii*, inadaequate in *vi nominis*, liquet essentiam non existentem et essentiam existentem non differre quidem ratione conceptus spectata sola essentia at reapse differre ita ut sint tantum inter se analoga cum essentia non existens dicatur ens in potentia non in actu seu non sit ens sed possit fieri ens.

Conceptus objectivus entis exprimens essentiam existentem etsi compositionem aliquam apparentem proferat, non est tamen vere compositus cum non exhibeat notas duas seorsim cogitabiles sed rem ipsam seu essentiam et ejus modum includentem ipsam. Conceptus entis inadaequate sumptus seu essentia est omnino simplicissimus cum neque compositionis apparentiam habeat.

Ex his liquet ens proprie definitione sive essentiali sive descriptiva definiri non posse, cum definitio propria postulet genus aliquod commune definito et non definito; in casu genus commune enti et non enti. At hoc genus nullum est, et si definitio propria tradi nequeat, potest tamen aliqua tradi, quae similitudinem habeat cum definitione essentiali quaeque dicatur essentialis analogica. Jam vero descriptio tradita entis „ essentia quae existit " similitudinem habet cum distinguet duo et quae distinguuntur essentialia sint. Nihilum est entis negatio. Cum ens essentia et existentia significet, nihil erit negatio existentiae vel essentiae simul et existentiae. In quolibet judicio vere negante affirmatur nihil vel existentiae vel essentiae, cui necessario sequitur nihil existentiae.

Nihil vero quod de ~~hoc~~ subjecto aliquo affirmatur potest esse vel totale vel partiale; ut si dicam aliquid nullatenus existere vel esse coalescens) ex notis pugnantibus vgr. pro primo ut. Antichristus non existit pro altero materia cogitans est parum nihil. Potest nihil quod de toto affirmatur esse <u>partiale</u> ut cum de toto affirmo carentia alicujus proprietatis, vgr. „ego non sum episcopus."

Notandum est: distinguendum omnino esse conceptum ipsius nihili a conceptu subjecti; de quo affirmatur nihilum. Quoad ipsum conceptum formalem nihili potest: a). ipsum concipi; b.) concipi non per se, sed per id cujus est negatio; c.) affirmari ipsum posse tum partiale tum totale de aliquo determinato subjecto, sed non totale de omni subjecto absque contradictione (Annot. In judicio hoc: „Nihil est" negat onto-

logica essentia, quod profert logica essentia; adest enim saltem ontologica essentia ejus, qui perversum judicium profert: in quo est contradictio). Quoad subjectum de quo affirmatur nihilum: a) si de eo affirmatur nihilum solius exsistentiae, concipi posse per se secundum quod est essentia, sed concipi per negationem exsistentiae, secundum quod dicitur identicum cum praedicato. Ita cum dico: Centaurus est nihilum exsistentiae, ut de Centauro id possim affirmare, necesse est, ut ipsum concipiam tamquam essentiam in potentia, seu tamquam quid positivum secundum essentiam, negativum secundum actualitatem. Cum concipitur aliquid esse nihilum partiale essentiae (Annot. ego non sum episcopus), subjectum debet concipi per se et essentia et exsistentia

secundum aliquid, per negationem et essentiae et existentiae, secundum quod identificatur cum nihilo (Annot. ego sum non episcopus.); aliud exemplum cum partiali nihilo est: nihil ontologice est contradictorium = omnia ontologice non sunt contradictoria vel sunt non contradictoria. Tertium cum concipitur aliquid esse totale nihil essentiae (Annot. Materia cogitans est purum nihil,) subjectum concipitur per se secundum elementa, per negationem secundum secundum sociabilitatem.

Notandum est: nihil concipi ad modum entis, ut scilicet mentis objectum; ontologiam spectare cur porro essentiam dicit idque etiam, cum agit de existentia, siquidem considerat notas, quae continentur in conceptu existentiae.

Thesis I.

Conceptus entis non est univocus, non aequivocus, non analogia proportionis, sed analogia quam dicunt inaequalitatis et quoad aliquas partitiones analogia attributionis cum forma intrinseca.

Nomen aliquod idem tribuitur multis multifariam.

1. Idem nomen significare potest rationem unam, quae eodem modo sit in pluribus ita, ut additae differentiae vel solam numericam distinctionem exhibeant vel diversitates nullatenus mutantes ipsam rationem eique sint accidentales, quatenus aut exprimant intentionem gradum ejus aut rationes alias formae extrinsecas. Sit natura aliqua pure spiritualis, si sint bini spiritus ejusdem essentiae, gradus vis et habeant eadem accidentia, conceptus naturae spiritualis conveniet

utrique et sola differentia erit numeri; si unus ex duobus majorem habeat intelligendi vim in eodem ordine intelligentiae, diversimen erit, sed non ipsa natura intelligentiae. (Annot. solummodo numero et gradu). Si denum e duobus unus habeat praeter intelligendi vim majorem etiam cognitionem, diversus erit ab alio numero, gradu et ob alias proprietates accedentes extrinsecus. Cum additae differentiae nullatenus mutant ipsam essentialem rationem per nomen exhibitam, nomen et ipse conceptus per nomen exhibitus dici debent univoca stricte sumpta.

2. Idem non significare potest eandem rationem existentem in pluribus, sed ita, ut a) ratio per nomen exhibita in ordine ontologico non sit eodem modo essentiali, et b) addita differentia per se non significet communem

rationem esse diversi ordinis, ita constituat in diverso ordine etiam logice subjecta habentia illam rationem. Animal exhibet rationem aliquam existentem tam in homine quam in bruto. Animalitas ipsa quae est in homine, quippe quae identificata realiter cum ratione, est diversi ordinis essentialiter atque in bruto. Additae differentiae: „rationale et irrationale" constituunt animal in diversis essentialiter ordinibus, at non ordinatur ad significandam ipsam animalitatem esse essentialiter diversam. Quare dici poterit fere animal exhiberi eandem rationem eodem modo, non quidem eodem modo in subjectum existentem, sed eodem modo, quatenus differentiae non indicant diversitatem, quam in subjectis habet ratio significata. Talia nomina dicuntur etiam univoca sed sunt talia sensu latiori.

3. Idem non eandem rationem in pluribus significat, sed ita, ut additae differentiae proxime ordinentur ad significandam ipsam communem rationem esse essentialiter diversam. Sit: percipere vel percipiens; addantur differentiae sensibiliter et intellectualiter; videt quisque additas differentias non esse proprietates alias additas, quae cum prima compositum metaphysicum efficiant, sed esse modos essentiales intrinsecos, qui rationem percipiendi confuse conceptam constituant in diversis ordinibus percipiendi, quorum unus essentialiter diversus est ab alio. Talia nomina exhibent eandem rationem in pluribus, sed et logice et ontologice non eodem modo; appellari possunt analoga vel similitudinis vel inaequalitatis. Cum ratio communis non sit eodem modo, non est univoca, cum vero sit una eademque

divisum in pluribus, debet in pluribus similis esse; est ergo analogia similitudinis, si spectetur ipsa ratio, inaequalitatis, si spectetur modus diversus rationis. Percipere per se simile et in sensu et in intellectu spectato modo percipiendi et inaequale in alterutro.

Idem nomen tribuitur pluribus, non quia exhibet eandem rationem, sed quia unum e subjectis habet rationem aliquam et aliud primo (ob ipsam) assimiletur; et propter hanc similitudinem nomen primi tribuatur alteri quatenus est et significatur simile primo. Bovem, leonem, tigrim per se cum dico, significo quasdam brutorum species proprias habentes notas. Cum quidam sint homines, qui in quibusdam proprietatibus, puta, crudelitate, tarditate etc. dictis brutis assimilentur

appellantur brutorum nominibus: boves, tigres, leones etc. Nomen est idem in diversis subjectis, puta in homine qui bos appellatur, et in bove; rationes proprietates sunt diversae, at diversae ita ut similitudinis vinculo nectantur. In similitudine exhibenda alia prorsus est ratio analogiae similitudinis atque proportionis. In et analogo similitudinis non similia subjecta sed ipsa ratio similitudinis exhibetur: percipere pro sensu et intellectu est id, in quo similia sunt; et contra in analogo proportionis voce analoga non ratio similis, sed subjecta similia exhibentur: bos non significat id, in quo homo et brutum similia sunt, sed indicat subjecta similia: 1) brutum habens tarditatem; 2) hominem, quatenus est similis tarditate bovi. Ideoque analogum similitudinis seu rationis communis ubique intrinsecae est fundamentum analogi proportionis.

Tarditas communis utrique potest percipi, quin attendatur et ad hominem et ad bovem. At ratio bovis tributa homini concipi nequit, quin percipiatur: a) bovem proprie dictum; b) tarditatem propriam bovis; c) subjectum in essentia distinctum a bove; d) subjectum distinctum quidem et non habens propriam formam bovis, tamen similitudinem in aliqua proprietate; e) sub hac ratione propter quam et secundum quam est simile tale subjectum, appellari bovem. Liquet analogia similitudinis analogia esse utrique analogato, analogum proportionis secundo analogato extrinsecum est, ratio bovis est extrinseca, intrinseca est similem esse bovi, non esse bovem. Liquet pariter analogum princeps, cui scilicet ratio expressa per nomen proprie convenit, debere prius concipi et potissimum in ordine alicujus cognitionis primatum habet.

5. Idem nomen tribuitur diversis subjectis, quatenus *unum* ex ipsis, *habet formam aliquam per nomen expressam*, *aliud* vero non habet formam per nomen expressam, sed habet *aliam formam* in hoc positam, quod sit *ordinata ad primam*. *Sanum* dicitur de *animante*, de *cibo* et de *medicina*. Sanum prae homine indicat formam hanc: *habens valetudinem seu formaliter sanum* prae medicina et cibo aliam prorsus formam exhibet id est: vel *restaurantis valetudinem* vel *conservantis*. At in his secundis formis continetur prima, scilicet valetudo ut elementum et *elementum extrinsecum*; quod intrinsecum est, est ipsa habitudo restaurantis et conservantis. Analogum hujusmodi appellatur *attributionis*; convenit cum analogo proportionis, tum in eo, quod forma per nomen expressa uni intrinsece convenit, alteri extrinsecus, ut videre est: in ratione tigris et sani:

praeterea convenit in eo, ~~quod forma per nomen expressa uni intrinsece convenit, alteri extrinsecus~~, quod illud, cui ratio per nomen expressa convenit intrinsece, debeat concipi prius, ut liquet in ipsis allatis vocibus et ratio est, quia utrumque analogatum secundarium exhibet formaliter habitudinem secundi ad primum; in prima analogia habitudinem similitudinis, in secunda habitudinem aliquam ordinationis ontologicae sive causalitatis sive effectus, atque ita porro. Discrimen vero analogi proportionis cum analogo attributionis in eo est, quod habitudo in primo sit fundamentum aliquod intrinsecum commune utrisque analogis, ut crudelitas pro Nerone et tigre; in altero autem id est attributionis analogo, qua tali, non adsit haec ratio communis.

Cum nomen aliquod est analogum attributionis, potest habere unum analogum primosr, ut corpus sanum et plura analoga secundaria, ut sanus color, medicina, cibus, quae tria dicuntur analoga attributionis non inter se sed ad tertium: corpus sanum. Inter se analoga sunt analogia similitudinis, cum in utrisque vel etiam in pluribus reperiatur non eadem ratio habitudinis, sed similis habitudo.

6. Vidimus tres species analogiae: similitudinis, proportionis et attributionis. Vidimus analogiam similitudinis fundamentum esse potissimum analogiae proportionis ideoque cum illa connecti. Videndum modo est, utrum analogia similitudinis connecti possit cum analogia attributionis. Si sit nomen aliquod, quod exhibeat

rationem aliquam communem in pluribus, communem tamen ita, ut additae differentiae indicent diversum rationis ordinem et si significent hujusmodi ordines diversos tales esse, ut unus sit princeps, alter ordinatur ad primum sane habebuntur elementa omnia, quae requiruntur ad analogiam similitudinis et attributionis. Atqui nomen entis est tale, ut significet unum conceptum communem pluribus ac propterea est nomen non pure aequivocum: est praeterea exhibens talem communem rationem, ut addita differentia non componat novam essentiam, sed ipsa communis ratio constituatur in ordine diverso et sit ad ~~esse~~ exemplum: ens spirituale, ens materiale; materiale et spirituale sunt differentiae diversificantes rationem entitatis.

Denum ens tale est nomen, quod praeterquam, quod exhibet rationem communem et similem in pluribus, tale est, ut additae differentiae aliquando non significent ordinationem, aliquando significent. Ita si additae differentiae sint corporeum et spirituale, communis ratio, in utroque reperitur, per se solam exhibet similitudinis analogiam. Quae enim ordinationis ratio habetur, si concipis arborem et angelum? At fieri potest, ut non sola adsit similitudinis ratio, sed et illud ordinationis genus, attributionis proprium, ut in ente ab alio et ente a se; ente in alio, ente in se, seu ente creato et increato sub. substante et accidente.

Liquet ergo rationem entis non esse pure aequivocam, cum una sit eadem in pluribus; b) non univocam.

cum in pluribus non eodem sit modo. Est ergo analoga. At non analoga proportionis, cum in hoc analogo ejus: bus unum sit metaphorice, non proprie tale; e contra ens, sive sit accidens; sive productum, est ens proprie neque ratio entis analoga, analoga dici debet purae attributionis, cum in hac analogia forma per nomen expressa, secundo analogato est extrinseca. Ergo ratio entis erit vel analoga similitudinis tantum, ut in entibus non praeferentibus mutuam ordinationem vel praeter hanc analogiam erit etiam analogia attributionis.

Difficultates:

Conceptus entis in nostra re est aut distinctus aut confusus. Atqui non spectatur distinctus sed confusus - atqui hic est eodem modo in omnibus. Ergo est univocus.

Respondeo: Est confusus, sed aliquo modo

distincte determinatus, concedo; confusus simpliciter, nego;

Etenim univocus est ille conceptus, qui sive distincte sive confuse ab inferioribus abstrahatur, abstrahatur ab omnibus idem eodem modo, i.e. secundum eandem rationem eodem modo. Spectari ergo debet conceptus aut distinctus, aut confusus simpliciter aut cum respectu ad aliquem modum, quo sive distinctus sive ~~et~~ confusus ipse determinatur. Ita rudis homo certe, quamvis confuse concipit entitatem, tam in Deo, quam in creatura, tamen alio modo in utroque suum confusum entis conceptum applicat. Atqui ut sit conceptus quivis univocus, debet eodem modo ut sit analogus non eodem modo a suis inferioribus abstrahi. Ergo in disquisitate de aliquo conceptu sitne univocus an analogus non tam

de natura ejus quod est „distinctus conceptus vel confusus" in se, formaliter" spectata, non tam de forma „distincti vel confusi" a nobis intellecta, quam de modo, quo hic sive distinctus sive confusus conceptus ad subjecta sua applicetur, agendum est. Quo proposito contradistinguatur minor: Conceptus confusus eodem modo in pluribus est: spectato modo, quo iis tribuitur, nego; spectata tantum forma, h. e. natura ejus in se a nobis spectata, transeat. Revocare in mentem licet, judiciorum conformitatem cum re, vel ab ea difformitate esse eorum ad rem respectum, ergo rationem ipsis extrinsecam. Ita et conceptui confuso ratio, qua tribuitur rebus, potest esse alia atque alia, ipsi cum sit extrinseca, manente eadem ejus ontologica natura, quod nempe ipse semper, de quacumque re habetur, sit eadem

ipsa conceptio notarum rei talis, ut hae inter se non distinguantur, quemadmodum v. g. rusticus concipiens suam animam, confuse concipit ejus notas has: sentiens et intelligens et vivens et vegetans, quas notas tamen non inter se discernit. Veruntamen quemadmodum ratio, qua judicium ad res refertur, alia est atque alia, nempe conformitatis aut difformitatis a re, ita et modus, quo conceptus confusus tribuitur rebus, alius atque alius esse certe potest. Dum conceptum confusum habeo de anima, notas animae concipio ita, ut eas inter se non distinguam. Ejusdem naturae erit conceptus meus confusus de Deo, quoniam etiam Dei notas concipio ita, ut eas inter se non distinguam. Ergo in utroque casu ratio intrinseca confusionis ipsius in conceptu

confuso eadem erit; sed non eadem conceptus ipsius confusa ratio seu relatio extrinseca ad Deum et ad animam seu modus, quo ad alterutrum applicatur, quoniam cum in Deo et anima aliud objectum materiale sit concipiendum, aliud erit objectum conceptus formale, aliae in hoc atque in illo notae concipiendae, quamvis cum eadem hic et illic confusionis natura seu ratione intrinseca, quae cum a mente apprehenditur, ut ex logicis constat, forma appellatur.

Thesis IV

Entis ratio spectari potest abstractissime et concrete. Spectata entis ratione abstractissime, duplex ex ea efflorescit principium: contradictionis et exclusi medii. Spectata ratione entis determinate sumpti: a) ens in ordine perceptionis: 1) identitatem

2) implicite contradictionis principium 3) exclusi medii concipit. b). In ordine affirmationis 1um est contradictionis principium in omnibus affirmationibus implicite inclusum.

Entis rationem duplicem esse est per se evidens; cum mentis objectum sit ens, ens vero spectari possit vel secundum rationem communissimam, vel secundum rationem non communissimam. In primo casu habetur ipsa idea abstractissima entis, in secundo casu habebitur determinatum ens, homo, angelus, etc. Liquet ex notione entis abstractissime sumpti duo efflorescere tantum principia, prima id est contradictionis effatum et exclusi medii. Sane comparando ideam entis haec haberi possunt; a) habitudo ideae entis ad ideam entis vel non entis ad ideam non entis. b) entis ad idem

simul, haec enim subintelligitur. Ita si dico rotunditas excludit negationem rotunditatis, seu rotunditas nequit esse non rotunditas, non requiritur vox simul at evidenter subintelligitur. Non enim simpliciter negatur non rotunditas, cum plura non rotunda sint, sed negatur conjungibilitas rotunditatis et non rotunditatis. Quod si τὸ esse non sit ipsa ratio subjecti, sed sit forma subjecto addita, evidenter apponi debet vox simul; etenim τὸ non esse non repugnat subjecto simpliciter, sed subjecto quatenus informato speciali forma τοῦ esse. Non rotunditas non repugnat corpori, sed rotunditati, ideoque verum erit: x) rotunditatem semper repugnare non rotunditati; corpus vero excludere non rotunditatem, quamdiu informatur rotunditate.

seu rotundum dum est rotundum nequit esse non rotundum. Quare vox simul requiritur ratione applicationis diversae formarum sese excludentium.

Habitudo entis:

Habitudo entis ad nonens exhibet non solum repugnantiam seu esse, sed etiam: nullum medium dari inter utrumque. Sequit secundum hoc effatum exhibere plura elementa: 1) primum exhibet solam oppositionem, alterum oppositionem eamque talem, ut ubi desinat primum membrum incipiat secundum, ubi desinit esse incipiat non esse.

Quare duo tantum sunt principia ex entis et non entis notionibus abstractissime.

Spectata ratione entis determinati in judiciis, puta: „hic est leo" considerari debet ordo perceptionis et affirmationis.

Evidens est: mentem 1) debere percipere identitatem inter subjectum et praedicatum; non potest enim affirmare mens: „non posse esse secus" nisi perceperit prius esse leonem. Posita autem perceptione identitatis inter subjectum et praedicatum: „leonem", percipit fieri non posse, ut tale subjectum identicum cum leonis forma sit non leo, quare in perceptionis ordine praecedit identitas, succedit ratio concreta principii contradictionis atque huic succedit ratio concreta principii exclusi medii.

At spectata ratione affirmationis principium contradictionis concrete sumptum est prima ratio; etenim in quolibet judicio, prout affirmatio est, mens inter duo est, puta: hic estne leo vel non leo? Non adhaereret mens uni

parti, nisi videt ita unum e duobus esse, ut non sit aliud: atque ipsa propositio: est, hoc praecise affirmat: hoc praedicatum scilicet subjecto convenit et non ejus oppositum. Ergo prima affirmatio est ipsum principium contradictionis concrete sumptum. Ideoque dici posse contradictionis effatum non abstracte sumptum sed concrete, affirmationum esse januam ac basim ceterorum omnium judiciorum.

Diff. contra primatum principii contradictionis duo haec obiiciuntur: 1) principium contradictionis negativum est, ergo affirmativum praesupponit judicium, b) modale est, ergo praesupponit cathegoricum.

Prae oculis habita distinctione principii abstractissime et concrete sumpti, respondemus ad 1) concedimus antecedens

distinguimus consequens: principium contradictionis abstractissime sumptum, praesupponit, ~~et~~ immo includit positivum conceptum entis et principium contradictionis concrete sumptum praesupponit immo includit tum positivum conceptum entis, tum perceptam identitatem inter subjectum aliquod et ejus formam, concedo — praesupponit affirmationem praecedentem ipsi principio enuntianti oppositi impossibilitatem, nego. — Ad 2) distinguo antecedens: Principium contradictionis abstractissime sumptum est modale, nego — concrete sumptum: latissimo quodam modo, modalis dici potest — concedo — stricte et proprie nego. Modalia judicia propria forent duo haec: Deum existere est necessarium, seu tale est, ut oppositum ex ipsa natura identitatis repugnet,

me existere est contingens seu tale, ut opposi-
tum non repugnet ex ipsa natura
identitatis, sed ex natura facti. Cate-
gorica forent duo illa alia: Deus existit,
ego existo; at etiam duo haec, ut
certa dicantur, debent esse talia, ut in
ipsis affirmetur oppositi impossibili-
tas. Videt tamen quisque affirma-
tam oppositi ipossibilitatem aliam
prorsus esse ab illa, quae affirmata
est in modalibus, quare utraque ratio
poterit in uno judicio contineri.
Sane judicium illud: certe ego existo contin-
genter, dicit simul existentiam a me
posse abesse spectata voce: contingenter,
seu dicit, me quidem existere, sed ita,
ut oppositum non sit impossibile.
Tamen cum dicit: certe, dicit opposi-
tum esse impossibile, quare pro-
positio esset absurda, si eadem
foret impossibilitatis ratio; at diversa
est, una spectat identitatis inter

non entis. Jam vero habitudo ideae entis ad ideam entis, vel non entis ad ideam non entis nequit constituere judicium, quia in judicio tum affirmativo tum negativo requiritur aliqua terminorum diversitas; in negativo liquet; in affirmativo etiam, in quo pronuntiatur identitas; at sublata pluralitate terminorum aufertur basis identitatis. Quare orationes illae: ens est ens, non ens est non ens, si nullam exhibeant in terminis diversitatem, non solum principia non sunt, sed nec judicia. Quod si aliquam exhibeant diversitatem ita, ut secundum ens seu praedicatum exprimat aliquod aliud ac primum ens, cum hoc aliud nequeat esse aliqua determinata ratio entis, sit oportet nihil aliud, quam necessitas quaedam. Etenim judicia illa, ens est ens, non ens

est non ens, si quid significant, illud certe significant: quod est, dum est, certe est, seu non potest non esse, seu quod est non potest esse non ens. Jam vero hoc in casu erit principium contradictionis, grammatice prolatum diversa ratione.

At habitudo entis ad non ens praebet menti principia duo. Videt mens:

1) ens et non ens se mutuo excludere seu simul esse non posse. Hanc repugnantiam „τοῦ esse cum τῷ non esse" exprimit mens pronuntiando: esse non potest esse non esse; in quo pronuntiato, esse est in subjecto, non esse in praedicato, vel nulla res potest esse et simul non esse, in quo esse et non esse sunt in praedicato. Notandum, quod si „τὸ esse" sit ipsa subjecti essentia, cum haec eadem semper sit et immutabilis, non requiritur appositio vocis:

subjectum et formam, Deum et existentiam, me et existentiam. Alia impossibilitas praesupposita identitati naturae qualicumque, sive ea contingens sit, sive non contingens, aspicit insociabilitatem formae existentiae cum non existentia. In exemplo allato ratio modi respicit Deum et existentiam, me et existentiam. Principium contradictionis respicit Dei et mei existentiam cum non existentia. Non hoc secundum sed primum constituit rationem principii modalis stricte sumpti. Distinguimus ergo conseq. Principium supponit categoricum, cum est modale stricte sumptum – transeat, quum est modale late sumptum, subdistinguo – categoricum supponit, si categorici nomine intelligatur, vel idea posita vel sola perceptio identitatis, concedo –

si intelligatur proprie dicta affirmatio – nego.

Thesis V.

Proprietates entis sunt certe: unitas, veritas et bonitas, quum, ut patebit, cuilibet enti, quatenus ens est, conveniant; eas ratione tantum ab ente distingui patet consideranti; proprietates hujusmodi non esse nihil, esse ergo ens.

Prima e proprietatibus unitas ponitur, cui primatum convenire patebit ex ipso conceptu unitatis. Dici solet unum esse, quod est in se indivisum "alii addunt" et divisum ab omni alio". Patet posteriora verba praesupponere unitatem, ut enim percipiamus divisum ab alio, debemus percipere aliud ut unum. Hinc merito a pluribus posteriora verba omittuntur. Priora autem ponunt rationem unitatis in

negatione divisionis ita, ut unitas concipiatur post divisionem; at quaeri potest, quid divisio sit? Divisio sane est „distributio totius in partes". At nonne totum est aliquid unum? Unitas ergo videtur praesupponi et divisioni et negationi divisionis. Poterit tamen declarari per divisionem ejusque negationem, quatenus divisione perit unitas; negatione divisionis, conservatur totalitas. Talis definitio erit non per conceptum formalem, sed aliquo modo per effectum. Ipsa unitatis divisio ostendit unitatis rationem sitam esse in quadam totalitate. Sane dividitur unitas in unitatem indivisibilitatis, i.e. simplicitatis et compositionis. Haec divissio apprime concurrit, cum conceptu totalitatis, quae totalitas hujusmodi esse potest, ut sit

divisibilis et indivisibilis. Si unitatis ratio sita sit in hoc, quod ens sit in se indivisum, quatenus non posset dividi in plura, quae sint ipsum, liquet omnem unitatem esse indivisibilem. Petrus in plures Petros, nec domus in plures domus dividi potest. Quod est unum, sed divisibile ideoque dicitur unum compositionis, esse potest tale, ut unitas seu totalitas sit ab arte et dicitur artificialis unitas; poterit esse sita totalitas in sola materiali aggregatione absque conspiratione partium ad unum finem et dicitur: unitas aggregationis. Haec quidem sunt pro unitatibus physice consideratis. Potest considerari moralis unitas, quae est in compositione plurium voluntatum erga unum finem cum conspiratione, ut in physico compo-

sito sunt partes in unum conspirantes. Poterit esse talis moralis unitas seu totalitas, quae sit naturalis, ut domestica societas uxorem inter et virum, parentes ac filios; moralis erit simul et naturalis; moralis, quia unitas est in voluntate; naturalis, quia est a natura, quamvis non exsurgat una natura physica; poterit esse unitas moralis, quum artificiali assimiletur, quaeque constituat unum per accidens seu faciat totalitatem aliquam accedentem totalitati naturali, ut societates liberae artificum, quae accedunt praesuppositae societati civili. Demum, ut in physico ordine datur unitas aggregationis, quatenus una proxima sunt in spatio; ita in moralibus erit unitas aggregationis, cum voluntates simul erunt pro aliquo

pire, sed absque mutuo influxu in tendendo; ita habemus saepe plures pergentes ad locum aliquem, in quo sit spectaculum; unitas adest in pergentibus aggregationis.

Ex dictis liquet, quod quidquid est, unum est; est enim simplex, unum est indivisibilitatis est vero compositum unum erit compositionis.

Unitas. totalitas potest considerari vel prae partibus, cum actu in ipsa sint aut non sint, vel prae partibus cum sint extra ipsam, ut quid subjectum totalitati potentiali. Si v. g. Petrus in quo a) possum considerare ipsius actualem unitatem comparatam cum multitudine partium componentium ipsum et, ut totum quidem physicum sed ut partem subjectivam cum ceteris hominibus relatis ad universalem conceptum homo sub quo

referiuntur: Petrus, Paulus etc. Considerando Petrum sine partibus, quas habet in se, habeo unitatem transcendentalem, metaphysicam convenientem omnibus entibus – convenire poterit vel ita, ut sit totalitas cum partibus vel sine partibus, quae quidem disjunctive in omnibus erit; omne enim ens erit vel unum indivisibilitatis vel compositionis, sed unum. Comparando autem unum metaphysicum cum aliis unitatibus metaphysicis, quae contineantur sub ratione aliqua universali, tria poterunt contingere: 1) quod sint plura ejusdem ordinis, (x) quo in casu unumquodque unum erit simul unum e pluribus, propter altiorem unitatem seu idealem; 2) poterit contingere, ut de facto non sint alii similes, sed possibiles; 3) ut neque actu sint alii similes

ut Deus unicus possibilis, actu existens. In primo casu erit unum e pluribus, in secundo casu unum e pluribus, in tertio unum unicum, absolute ut distinguatur a secundo quod est unicum de facto; unum, relatum multitudini potest referri multipliciter 1) multitudini, quae exsurgeret ex ipsa divisione unius; 2) multitudini, in qua unum metaphysicum dicitur unum e pluribus; 3) quae negatur in ipsa ratione unitatis, cum quamdiu unum est, indivisum est et non multiplex, unitas erit vel indivisibilitatis vel compositionis; si compositionis est unum et multa, quae ex ipso diviso possunt exurgere opponuntur privative. Unitas indivisibilitatis multitudini, quae potest oriri ex divisione, non opponitur privative cum indivisibile

non possit dividi sed contradictorie cum unum sit vel indivisibile vel divisibile seu potest fieri multiplex, et non potens fieri, multitudini, quae non exurgat ex unius divisione et per consequens comprehendatur per unitatem, sed quae unitates contineat, unitati certe opponitur. Unitas, qua ens ita est unum ut simul sit unum et pluribus unitatibus multitudini opponitur relative ut pars toti; unitas, qua ens ita est unum, ut simul sit unicum.

Quae multa sunt, eo ipso quod multa sunt, scilicet prout unitatem constituit, praeter pluralitatem unitatem quamdam habent qua multitudinis propriam. Cum habeo, puta, distinctos homines 1) habeo unitatem metaphysicam in singulis 2) unitatem conceptus alicujus, qui singulis distributive competit.

et sine quo multitudinis conceptus est impossibilis; leonem et equum non potest dicere esse plures sub ratione leonis et equi, et sub qualibet ratione, sub qua discrepant, plures dices sub ratione bruti. 3) Praeter unitatem metaphysicam singulis convenientem et ontologice singulis identificatam, praeter unitatem logicam exhibentem rationem communem distributive singuli in multitudine nata alia adest unitas, quae est ipsa forma quantitatis: ternarium, quaternarium, quinarium. Secunda unitas continetur in singuli et efformat fundamentum logicae distributionis, tertia continet singulos et efformat logicum fundamentum collectionis. Suo loco videbimus multitudinem quamlibet natam esse non posse nisi finitam; at concedi quoque

debet jam nunc ad rationem multitudinis generatim inspectae non postulari tertiam unitatem, cum, ut videbimus, possibilia singula habeant unitatem methaphysicam unitatem communem, saltem entis possibilis, non habet unitatem tertiam: ratae collectionis sed solum potentialitatem, ut constituantur in ratas collectiones.

Thesis VI.

Praeter unitatem rationis, qua scilicet plura concipiuntur eandem habere essentiam, datur a parte rei duplex alia unitas: terminalis scilicet et individuationis, quibus vocibus significatur unitas essentiae et unitas singularitatis. Sane mens cogitare realem essentiam potest, quia attendat ad aliud praeter ipsam rationem essentialem, ita possum considerare in reali essentia Petri

rationem animalitatis et rationalitatis et complexum utriusque possum vero menetipsum, Petrum considerans, attendere ad ipsam ejus, meam singularitatem, qua fiat, ut, quamvis plures alii mihi aequales homines esse possint, tamen non possint esse duo: ego.

Evidens est ontologice idem re esse unitatem formalem et individuationis, cum realitas quaedam quaelibet quae existat non possit esse nisi unica, et individua, absurdam omnino est rem existentem concipere, quae sit ontologice multiplex; ergo unitas formalis et individualis, respectus diversi sunt ejusdem omnino entitatis. Quaerenti ergo quodnam sit principium individuationis, respondemus: esse totam essentiam existentem, non realem, per aliud a se distinctum

individuari, sed per se totam.
Quid ergo dicendum de materia prima, prouti quantitati subest; estne ipsa principium individuationis. Chimericum foret dicere principium individuationis esse materiam primam in angelis pluralitatem individuorum in eadem specie; ipsi ergo individuantur per se ipsa; idem de materialibus dicendum est.
Logicus ordo distinguendus est ab ontologico; ontologicae quidem essentiae distinguuntur per se ipsas, logicae vero, quae materiales sunt et corporeae, distinguuntur determinate designatione quantitatis. Hominem concipiens, concipio qua ratione? Individui notio continetur elementis his: homo hic, in quibus duobus elementis habetur: 1) communis ratio; 2) ratio individui logice

designati per terminum: hic, qui terminus exhiberi menti nequit, nisi sensibiliter seu exhibetur quantitate affectus.

Thesis VII.

Explicata I ratione identitatis et distinctionis, docemus II a) mutuam separabilitatem rerum esse indicium certum distinctionis realis b) ea quoque realiter distingui quorum objectivi conceptus constituuntur notis invicem repugnantibus.

Quid distinctio sit, quidque identitas, videre debemus considerantes quae distincta dicimus et quae identica. Jam vero distincta dicimus ea, quae habent unitates distinctas, quarum scilicet unitas non est alia unitas. Si duo sese exhibent menti perfecta aequalia, hoc unum sufficit, ut dis-

stincta dicantur, quod unumquodque ex illis unitatem habeat, quae non sit unitas alterius. Quare distinctio erit in pluralitate. Considerante modo identitatem in iis, quae identica dicimus, patebit identitatem sitam esse in aliqua specie unitatis, quae conveniat pluribus, ideoque sit distinctorum convenientia in aliqua unitate. Identitas ea est, quae passim in judiciis affirmatur; jam vero quid est, quod in judiciis affirmatur? Saepe pronuntiamus subjectum aliquod identicum cum praedicato, puta, causa prima est infinita. Quid affirmamus? conceptum subjecti esse idem ac conceptum praedicati? non sane, sed rem, entitatem, quae est sub conceptu subjecti esse, entitatem quae est sub conceptu infinitatis, seu saepissime in judiciis

affirmamus identitatem realem, seu unitatem realem prae pluribus conceptibus. Non raro in judiciis affirmativis non realis affirmatur identitas sed unitas logica duorum, quae realiter distincta sunt. Ita si dicam: reddidi tibi pecuniam, quam mihi dedisti mutuam et eandem reddidi; generatim non significo ipsissimam tibi pecuniam reddidisse, sed ejusdem valoris. Liquet ergo identitatem praesupponere distinctionem; at in ordine ontologico cum sermo sit de reali identitate, evidenter praecedit unitas entitatis et sequuntur diversi respectus qui distinctionem efferunt.

Tradita definitione distinctionis atque identitatis quaeri potest quotuplex sit distinctio. Omissis nominibus et rebus consideratis habemus: 1) Dari

potest distinctio mentis operationem praecedens, quaeque sit inter rem et rem ita, ut entitas in uno non sit entitas in alio; id potest contingere: a) inter naturam et naturam, bovem et equum, leonem et leorem; b) inter partem naturae substantialem et aliam partem substantialem, ut intra animam et corpus. Cum consideratur substantialis pars prae alia parte, distinctio est adaequata, est enim distinctio totius partis a tota alia parte; cum consideratur pars prae toto, dici quidem poterit, hominem distingui ab anima seu totum a parte. At distinctio ontologica non est hominis ab anima, sed animae a corpore; c) ignoramus num entitas aliqua dari possit distincta a substantia realiter,

quae substantiae entitas non sit. Sunt tamen plurimi, qui contendunt a parte rei aliam esse entitatem substantiae, aliam vero entitatem accidentis. Secundum hoc praeter distinctionem realem inter naturam et naturam, inter partem naturae et partem naturae ponenda est realis alia, quae sit inter naturam ejusque accidentia ab ipsa natura realiter distincta; 2/. Ante quamlibet mentis operationem reperimus quaedam distingui, etsi secundum rem sint omnino idem. Cum quae sunt omnino idem, non possint esse distinctae res, distinctio mentis operationem praecedens, debet esse in ontologicis respectibus. Sane negari non potest quod aliqua res una ante quamlibet mentis operationem respectus habet ontologice diversos.

Praesupposita, posita in angelo identitate ontologica mentis intelligentis et virtutis movendi corpora, ante quamlibet mentis operationem alius prorsus est respectus ontologicus, quo angelica mens intueri potest Deum et alius, quo movere potest corpora. Ergo ante operationem mentis datur non solum distinctio inter rem et rem, sed etiam inter respectum et respectum in eadem re. Respectus hujusmodi possunt esse: a) naturae et suppositi. Ita dicimus ante mentis operationem, naturam communicabilem esse, suppositum non esse; b) inter essentiales entis facultates. Ita respectus quem anima habet in sentiendo ante mentis operationem est intrinsecus ab organo dependens, respectus, quem anima habet in intelligentia non est intrin:

eas ab animo desfendens; ipsa cultatum et et actuum. Ita facultas est permanens, actus est transiens. 2) actuum diversarum facultatum ut intelligendi actus non est liber, volendi est liber, idque ante quamlibet mentis operationem. 3) Componendo entitatem cum respectibus habemus distinctionem, quae est post mentis operationem cum fundamento in re; ita distinguimus in homine animalitatem et rationalitatem:- animal et rationale. Liquet in iis non considerari solum respectus, sed rem ipsam respectus habentem. Hinc licet dicere conceptus animalis, quem habeo de Petro non continet conceptum rationalis; at non licet dicere: animal in Petro non est rationale. Quare distinctio erit in hoc, quod ipsa entitas una ham

riatur diversis conceptibus, quorum unus explicite alius non continet. 3) potuerit fieri ita ut ex duobus conceptibus, neuter alium includat, ut animal et rationale; ut 6) unus non includam secundum, sed hic primum, ut substantia et spiritus. Ita ut uterque alterum includat implicite, ut immensitas et aeternitas. 4) Distinctio esse potest non inter ens et ens, non inter respectum et respectus, non inter ens sub uno respectu et idem sub alio respectu, sed inter solos modos subjectivos percipiendi eosdem conceptor, ut inter ~~[illegible]~~ conceptum hominis et animalis rationalis. Liquet quartam hanc distinctionem totam esse ex parte subjecti, primas duas esse ex parte objecti, tertiam parti:

cipare de utroque.
Distinctiones has desumpsimus ex consideratione ipsarum rerum quas distinguimus sed finitarum. Datur distinctio realis, quam supra non memoravimus, quia solum est in infinito et supra de finitis loquebamur. Ex fide novimus Deum unam esse naturam, personis trium, ac tres esse divinas personas ita, ut personalitatis ratio sit in qualibet persona perfectissima. Jam vero perfecta personae ratio importat realem distinctionem ab alia persona. Si ergo tres sunt in Deo perfectae personae, hae inter se realiter distinctae esse debent. At, cum quaelibet ex his perfectissimam habere debeat natura, et perfectissima natura unica esse debeat, dicendum erit: Patrem, Verbum, Spiritum Sanctum tres esse res

et unam esse rem, tres res
quod res personam dicit, unam esse
rem, secundum quod res naturam
dicit. Propter ipsam rationem in-
finitae perfectionis supposita plura-
litate personarum debet poni una
natura et non distinctae naturae;
distinctae realiter personae et non
una tantum persona, distinctae perso-
nae ita, ut
Pater exhauriens infinitam rationem
paternitatis, unum Verbum et unum
Spiritum Sanctum propter eandem
rationem. Denum perfectio, quae est
in qualibet personalitate, non ratio
personae debet esse eadem in singulis,
etsi ipsa ratio personae in singulis
non sit, sed Pater sit solus Pater,
Verbum sit solum Verbum, Verbum
non generet, sed quidquid perfectio-
nis in generatione est, habet pro-
pter communicationem ejusdem

naturae.
Quaeri potest utrum inter distinctionem rei et rationis sit distinctio media. Respondemus solutionem pendere ex nominale definitione distinctionis utriusque. Definita distinctione reali, ut distinctio quae est inter rem et rem et distinctione rationis, quae non est inter rem et rem dicendum est nullum dari medium ideoque ad realem distinctionem pertinere distinctionem, quae est inter personam et personam, naturam et naturam, partem substantialem naturae et partem substantialem naturae, tum si accidentia quaedam dantur a substantia realiter distincta pertinere distinctionem, quae est inter substantiam et talia accidentia et distinctionem quae est inter haec ipsa accidentia.
Ad distinctionem rationis pertinere cetera omnia, quae possimus

numero. 2. 3. et quarto. Quod si distinctionem rationis definiamus, quae sequitur mentis praecisivam operationem et distinctionem realem eam, quae non modo praecedit mentis operationem, sed ita praecedit, quae distinguuntur, sint entitas et entitas, non videntur contra rationem ponere distinctionem aliquam mediam, in qua a) una detur res; b) at haec ante mentis operationem habeat respectus diversos et consequenter ipsa res sub diversis respectibus. Hoc in casu habeatur primo distinctio realis, quae est inter rem et rem ante mentis operationem, atque 2) distinctio media, quae non esset inter rem et rem sed ante mentis operationem; 3) distinctio rationis, quae non esset inter rem et rem, non ante mentis operationem sed post

mentis operationem, idque dupliciter vel quatenus distinctio foret in consideratione objecti, ut animal et rationale, vel quatenus foret in consideratione modi subjectivi considerandi objectum ut homo et animal rationale, e duobus hisce: 1) primus rationis ratiocinatae; 2) alterum ratiocinantis dici posset. Sane omissa distinctione rationis illa, quae rationis ratiocinantis dicitur distinctio rationis ratiocinatae, quae sequitur mentis operationem fundamentum aliquod habere debet in re. Hoc vero fundamentum non est in eo, quod res singulares percipiantur universaliter; considerare enim possumus res omnino singulares, animalitatem Petri et ejus singularem ~~laritatem~~ rationalitatem; ergo fundamentum debet esse distinctio aliqua praecedens mentis operationem. Haec erit in ontologicis respectibus ejusdemque

rei, quibus fiat, ut mens operatione praecisiva considerat unam rem 1) sub uno respectu 2) sub alio; at praecindere non posset nisi esset alius. Ontologica distinctio, respectum, quae media dici possit, inter realem et rationalem inquiri potest, quo nomine sit appellanda. Poterit dici distinctio formalis et poterit dici distinctio virtualis. Formalis appellari potuerit ex eo, quod respectus hujusmodi sint quaedam determinatae formae et modi rei; virtualis dici potuerit, quia, cum respectus praedicata habeant contradictoria, ratio sunt, cur rei propter hujusmodi respectum et sub his respectibus praedicata conveniant contradictoria. E quibus duobus nominibus praeferendum est: 1) primo sub uno respectu 2) alterum sub altero. Distinctio formalis, seu alias esse formas: est ratio, cur possint convenire praedicata

contradictoria. Hoc secundum non distinctum est, sed consequens ex distinctione. At hoc secundum praeferri potest ratione modi clarius rem exhibendi. Melius enim sentimus distinctionem praedicata contradictoria considerantes. Quaeritur, utrum Scotistis an Thomistis assentiamur. Respondimus, assentiri et non assentiri. Ipsi distinctionem mediam applicant solis rebus, quae certe habent solam distinctionem rationis, dicunt animal et rationale in Petro distingui formaliter, vel virtualiter aliaque sexcenta. In hoc falluntur confundendo respectus praecedentis mentis operationem cum consideratione entitatis sub diversis respectibus. At ipsis assentimur secundum quid, quatenus a) et generatim aliqua distinctio, quae realis non sit et mentis operationem praecedat, a nobis

spenitur, et quatenus, b) in aliqua applicatione convenimus cum ipsis, e.g. natura divina non generat, Pater generat. Quoniam curavimus conciliare, quae hac in re dicta sunt, addere et illud volumus distinctionem realem esse duplicitur posse; alia quae sit inter rem et rem ut nos primo et secundo posuimus; alia, quae non sit inter rem et rem, sed rem et modum amissibilem ipsius rei, secunda haec dici poterit et rationis et media et rationis. Assume corpus rotundum; dici potest rotunditatem et corporalitatem realiter distingui, non ut res a re seu distinctione reali simpliciter, seu ut res a modo amissibili seu distinctione reali modali; dici potest corpus et rotunditatem distingui non realiter, ut res a re sed distinctione media respectuum, ut corpus a me non producatur et rotunditas producatur; tamen dici potest adesse distinctionem

rationis ratiocinatae inter rotundum et corpus, cum corpus praescindat a rotundo, rotundum non corpus includat.

Quaeritur de criterio realis distinctionis. 1) Criterium certum distinctionis realiter simpliciter est mutua distinctorum separabilitas. Si perseverante A desinit B, perseverante B desinit A, A et B idem esse nequeunt; secus perseverante entitate ipsa desineret entitas, eadem esset et non esset. Criterium hoc non est ita positive, ut non sint realiter distincta, quae sunt inseparabilia 2) Criterium distinctionis realis modalis, est separabilitas rei a modo vere objettivo. Pro distinctione reali affertur criterium: distincta sunt, quae habent praedicata contradictoria. Hoc verum, dummodo sermo sit de praedicato quod refertur ipsi rei non respectu

rei. Entitas materialis est ubique diversa, entitas sentiens, in sentiente est ubique eadem; concludere licet, entitatem sentientem non esse entitatem materialem. At ex eo, quod voluntas habeat libertatem, intellectus non habeat, concludere non licebit esse distinctionem realem inter utrumque, sed distinctionem aliquam praecedentem mentis operationem, quae potest esse vel realis, vel non realis, — realis — si liberum esse et non esse liberum conveniant rei simpliciter; non realis — si conveniant rei sub respectu. Ex hoc innumerae quaestiones inter philosophos, cum ad res determinatas fit transitus.

Tertium addi solet criterium, quod ita a quibusdam proponitur: cum unum est producens aliud produ-

tum, distinctio est realis; ab aliis vero proponitur aliter: realis origo unius ab alio est indicium distinctionis realis; at 1° modo expositum certe est falsum, cum actus vitales producantur et non sint a vivente distincti, ut res a re. Non de qualicumque productione, sed de transeunte sermo esse debet. Certum est quod quae se habent ita, ut unum sit agens, aliud factum extrinsecus distingui debent realiter, at hoc criterium esse nequit, ut patet consideranti. Quod dictum est de primo exponendi modo, dicatur de altero.

Thesis VIII

Notio veritatis ontologicae sita est in eo, quod res, quae vera dicitur, habeat ea omnia, quae exprimuntur in ideâ actuali vel possibili exhibente rem ipsam praecisione facta ab eo, quod idea sit exemplar, juxta, quod

quod res facta sit, quae quidem ~~ait~~ ratio exemplaris in idea rationem effectionis non formalem constituit rationem veritatis, seu in quo est, sed exprimit rationem unde est.

Jam notionem veritatis eam dicere debemus, quae ex modo, qui est proprius conceptuum transcendentalibus, competit omnibus, et dicere debemus eam esse notionem veritatis ontologicae, quam omnes intelligunt, cum dicunt, res esse veras. Atqui id, quod omnes intelligunt, cum dicunt, rem esse veram, nihil est aliud, quam quod rem habere proprietates omnes, quae continentur in idea exprimente et repraesentante rem.

Nota; voces: auri veri, argenti veri, nummis veri referunt nihil aliud nisi hoc, quod: et aurum et nummus sint vera, quia utrumque habet, quod est in ideis repraesentantibus

aurum ex nummo circa ullam ratio-
nem exemplaris juxta quod res
sit facta.
Praeterea ratio ontologicae veritatis
debet esse hujusmodi, ut a) omnibus
competat, quisque enim videt, quin
demonstretur rem omnem vere esse
id quod est; b) ut ita omnibus compe-
tat, ut non uni metaphorice alteri
proprie competat, cum omnis
res proprie et non metaphorice vere
sit illud, quod est; tandem, c) ut etsi
ratio una eaque propria et non
metaphorica singulis conveniat,
tamen additione facta differentia-
rum, debent constitui diversi ordi-
nes. Jam vero sola notio veritatis
a notionibus tradita tributa hisce
conditionibus satisfacit. Certe, si omnia
sunt vere, quae sunt, Deus est
vere, quod est; at applica si potes
rationem ideae exemplaris, juxta

quam Deus sit factus. Ergo formalis ratio veritatis ontologicae praescinditur omnino ab idea, ut exemplum effectionis. Evidens est traditam definitionem satisfacere secundae conditioni, cum vere quaelibet res proprie habeat, quidquid continetur in idea exhibente. Tandem satisfacit conditioni tertiae, ut patebit ex dicendis, de origine veritatis ontologicae in re. Diximus rationem exemplaris efficiendae non constituere formalem rationem veritatis, sed significare originem eo modo, quo esse dependentum in ratione entitatis finitae non constituit ipsam rationem entitatis, sed indicat, undenam ipsa formalis ratio entitatis proveniat. Haec Haec uberius apparebunt in explicatione veritatis ontologicae increatae et creatae.

Veritas ontologica increata est Deus, qui dici potest summa veritas, prima veritas, ipsa veritas. Potest dici 1° summa veritas. Sane veritatis ratio sita est in hoc, quod res sit conformis ideae ipsam exhibenti. Si ergo ipsa haec conformitas non sit contingens, sed necessaria, non sit ab alio sed a se, debet dici summa veritatis ratio, prae omnibus veritatibus contingentibus et participatis. Atqui Deus et necessario est et a se est, seu talem actualitatem habet, quae postulat conformitatem necessariam et a se. Praeterea etsi in adaequatione sita sit veritatis ratio et aeque sint tria plus tria aequalia sex, quam plus centum aequalia ~~du~~ bis centum, tamen cum non in qualicumque aequatione, sed in speciali quadam possessione proprietatum sit veritas, dicendum est, quod ubi plus rea-

litatis reperitur, ibi sit plus veritatis ontologicae. Cum ergo Deus sit summa entitas, qua nihil majus evidens est, quid esse debet summa veritas; summa ita ut pares non habeat, est enim infinita entitas; si pares non habet prima est et ~~sum~~ summa; at non prima ratione sola dignitatis, sed prima ratione fontali, quaternus ipse excellentissima veritas, est fons omnis veritatis ontologicae. Cur enim cetera omnia sunt vera? cur formali, respondeo, vera esse quia habent quidquid continetur in idea possibili exprimente earum naturam; cur originis, respondeo, id habere ab omni potentia divina, quod sint in rerum ordine ontologico et habere ab omni potentia divina, sed dirigente idea exemplari, juxta quam factae res habent esse ontologicum; quod exhibetur in idea possibili nata

repraesentare rem et juxta quam judicium fit de re; ontologica veritas erit ergo in sola ratione conformitatis rei cum idea nata repraesentare illam ideoque idea se habet ad rem, ut mensura ad exemplar non efficientiae, sed judicii ferendi. Ratio exemplaris efficientiae dirigens spectat non ad veritatem ontologicam universalem, sed ad classem aliquam, id est ad entia finita. Omnia entia finita naturalia simpliciter vera sunt, cum habeant, quidquid continetur in idea eorum possibili; ex hoc solum vera sunt, sunt enim semper conformia actuali ideae divinae, juxta quam factae sunt. Artificiales res possunt conferri etiam cum idea exemplari artificis, atque de ipsis dici potest relatae ad intellectum

artificis id, quod de naturalibus re-
latum ad intellectum divinum di-
citur, qui et foro his artificialibus
fontalis veritas dici potest, cum
ab ipso divino intellectu pendeant
secundum hanc ipsam rationem,
quod sint in idea artificis finiti.

Thesis IX.

I. Praeter veritatem ontologicam cogni-
tionibus nostris certa ratio veritatis
competit, quae logica dicitur, et est
conformitas intellectus cum re.
II. Itaque veritas logica sita est
in conformitate repraesentati obje-
cti cum objecto; ea nunquam
dees ideis. III. Veritas logica judi-
cii in eo posita est, ut per ju-
dicium veritas ontologica, h. e. con-
formitas rei cum conceptu suo
vel difformitas a conceptu non
suo asseveratur, atque ita intellectus
judicando faciat se rei conformem.

Praeter ontologicam veritatem cognitiones nostrae veritatem quoque habere possunt logicam. Sane, si quis non bene de aliqua re judicaverit, dici poterit a) falsum protulisse judicium b) sed vere judicasse; fuit ergo judicium et verum et falsum; verum ontologice cum in ipso ea omnia sint, quae ad rationem judicii spectant seu continentur in idea judicii — falsum logice autem, quia compositio facta a mente prorsus dissona erat compositioni objectivae; quare ontologica veritas est in conformitate rei cum idea, quae sit mensura, logica autem in conformitate cognitionis cum re, quae sit mensura.

Ideae et judicia dicuntur logice vera; at veritas ideae logicae non facile apparet. Quaenam est con=

formitas ideae cum re? Ideae nomine vel intelligitur ipsa animi modificatio vel imago rei vel ipsa res. Jam vero animi modificatio, quae est determinatio illa, qua ipse animus objecta percipit, dici nequit constituere veritatem logicam. Determinatio, qua animus constituitur potius percipiens sanctitatem quam sapientiam, nullam habere ~~tam~~ similitudinem cum sanctitate, sed proportionem non dissimilem ab ea, quam habet voluntas in amando potius honorem, quam voluptatem. Dici nequit in conformitate imaginis spiritualis cum ipso objecto sitam esse veritatem logicam. Cum habeo ideam obedientiae, quaenam, quaeso, est spiritualis imago obedientiae? Praeterea, quod ego percipio, obedientia est non similitudo spiritualis obedientiae; secus actum foret de

objectivo ordine. Quod si demas animi modificationem, prout est subjectiva, prout imaginem spiritualem, prout est objectiva ac solum relinquas objectum, amplius non erit locus conformitati. Hinc est quod in determinanda veritate logica ideae, non adest inter philosophos consensus, etsi adsit in determinanda veritate judicii.

Dici 1) poterit in idea adesse veritatem logicam, ut in re; logicam quidem, quia est actus mentis et cognitio; ut in re, quia idea quaelibet notas eas habet, quae continentur in idea repraesentante ideam. Haec tamen non est tam veritas logica, quam ontologica in actu logico. Hinc 2) ulterius progredientes dicimus mentem quidem in perceptione non rei similitudinem, sed ipsam rem percipere, attamen in perceptione rei, rem

summi dupliciter posse, ut est a parte rei et ut cadit sub perceptionem; veritas ergo logica ideae non erit in similitudine imaginis cum re sed in conformitate rei, ut cadit sub perceptionem, cum re simpliciter. Item exemplo explicemus. In visione oculorum imagines rerum efficiuntur. At sensus videndi non imagines videt, sed res; secus enim de qualibet re videret imagines duas, parvas, conversas, percipit quidem res, sed, ut cadunt sub sensu, non absolute, quod liquet ex eo, quod quanto magis res ab ipso videnti, tanto fit minor, cum in se eadem perseveret. Analogum aliquid contingit in intellectu, intellectus percipit objectivas rationes, sed non citra habitudinem ad subjectum percipiens. Rationes, quae

objectivae sunt, singulares et omnimode determinatae, percipiuntur ab intellectu universaliter, indeterminate etc. etc.

Qua re poterit dici ipsam rem a mente considerari posse sub duplici aspectu: 1) res, quae in se est, praescindendo a mente, qua percipitur, 2) res, quae est et percipitur, quatenus percipitur. In hoc poterit dici adesse conformitas. Sane, si ratio sanctitatis, quae in perceptione est, habet, quod est in ipsa ratione sanctitatis ontologica existente, dici poterit idea conformis rei seu appellando rem, ut est in se, objectum materiale et rem, ut est percepta, objectum formale, veritas logica ideae sita erit in conformitate objecti formalis cum objecto materiali; sed

sita erit in hac conformitate ita, ut, cum in idea ratio percepta non refferatur ad hoc vel ad illud, non percipiatur in idea conformitas; quae in judicio referatur et percipitur.
Veritas in judicio sita est in hoc, quod subjectum rei habet praedicatum, quod mens, judicando illi tribuit. Judicium: Deus est spiritus. est logice verum, quia rei, Deus est spiritus, ut mens affirmat. In hac re haec sunt animadvertenda: 1) judicii subjectum assumitur, ut est a rei; cum enim dicimus Deus, dicimus ens objectivum, praedicatum vero assumitur, ut quid objectivum, sed prout subest mentis considerationi. Cum enim dicimus Deus est spiritus, dicimus objectum materiale ideae

qua percipimus Deum, et habere formam hanc a me perceptam „Spiritus" seu in objecto, quod Deum dico, reperitur quidquid est de ratione Spiritus; 2) haec postrema verba nos monent in judicio affirmari veritatem ontologicam sitam in hoc, quod res in ordine objectivo contineat notas, quae exhibentur in idea nata ipsam repraesentare; 3) ipsa affirmatione ontologicae veritatis perficitur et completur logica veritas; mens enim, cum affirmat rem esse conformem alicui ideae, compositionem facit, quae vera est, si reapse subjectum praedicatum habet, quod mens tribuit; mens in veritate logica judicii fit conformis referendo objectum formale i. e. praedicatum objecto materiali i. e. subjecto, ob identi:

tatem perceptam.
Liquet discrimen inter modum veritatis logicae, quae est in idea, ab ea, quae est in judicio. Cum ego percipio „homo", quidem percipio Petrum, Paulum, Jacobum, quatenus sunt homines; at non ita percipio, ut perceptam rationem referam Petro et Paulo etc. In judicio autem „Christus est homo et deus" perceptam rationem et hominis et Dei, refero Christo, et video extrinsecus inter Christum et Deum hominem identitatem. Quare in idea est veritas logica non ut objectum, sed ut forma ideae; e contra in judicio veritas logica informat cognitionem mentis et est objectum implicite perceptum et affirmatum. Quod affirmatur et percipitur est objecti-

va identitas, inter praedicatum et subjectum, at praedicatum etsi objective consideretur tamen etiam implicite ut idea; dicimus enim „Deus est Spiritus,“ seu „Deus est habens rationem illam objectivam, quam ego percipio in ratione spiritus.“ Quare explicite in judicio affirmatur identitas, implicite identitas objecti cum idea illam repraesentante. In hoc autem habetur implicita perceptio et affirmatio logicae veritatis; dico enim: „Deus est conformis ideae meae, quam ego habeo de Eo, ut Spiritu.

Thesis X.

Nulla res dici potest simpliciter falsa, nam quaelibet res est intelligibilis, seu quod est seu habet notas, quae sunt in idea nata illam repraesentare.

Res tamen possunt esse falsae ratione intellectus, qua apparentia earum decipi potest. Quare potius quam falsae, fallentes sunt. Falsitas in rebus non erit sed inapparentia quarundam notarum, quae in ipsa re non sunt, prout haec apparentia refertur intellectui, qui ab hac apparentia decipi potest. Quare falsitas rebus tributa constat elementis: a) negatione quarundam notarum, quarum adest apparentia; b) apparentia notarum quae absunt; apparentia relata ad intellectum, qui ab ipsa decipi potest, quoad judicium de re.

Post ontologicam falsitatem sermo habenda est brevis de logica falsitate. Ipsam reperiri non posse in idea liquet; nam idea repraesentare aliquid debet; quod nec est nec possibile est, nihil absolute est, et per.

cipere non potest; quod perciperetur sin minus possibile esse debet, at hoc in casu idea erit conformis objecto possibili; quod si tu huic objecto possibili existentiam tribuis, jam non erit perceptio, ideoque falsitas non in idea, sed in judicio erit.

Thesis XI.

Bonitas formalis sita est in convenientia perfectionis alicujus erga aliquod, quatenus ab ipsa perfici potest. Bonitas materialis est ipsa perfectionis entitas.

In inquirenda ratione bonitatis ducem habere debemus communem sensum, et pro norma conceptus transcendentalis haberi debet. Principium illud quod una ratio eadem debet esse, communis est. Jam vero bonitatem juxta communem conceptum homi-

num et juxta rationem univer:
salissimam eadem in omni:
bus sita est in ratione entitatis
perficientis seu perfectionis con:
venientis alicui propter quod qui
eam habet bonum fit.

Theologia naturalis.

Naturalis theologia ea est philosophiae pars, quae antonomastice dici potest, tum metaphysica, tum simpliciter philosophia;

1) et quia summum ac nobilissimum est objectum;

2) et quia tale objectum causa est causarum omnium;

3) et quia sit de re altissima est tamen certissima.

De Deo agentes disputationes distribuemus juxta partitionem notionum transcendentalium, <u>Entis</u>, <u>Unius</u>, <u>Veri</u>, <u>Boni</u>, quoniam Ens, et Existens et Essentiam significat, primo de Dei existentia loquemur, distinctis propositionibus inter se connexis. —

Propositio I. Mirabilis adest hominum consensus quoad existentiam numinis.

lum sermo est consensus homi-
num   . solum gentes his-
torice notas. Illas, quae histori-
cae notae non sunt, facile de-
monstratur in rem eandem, con-
venisse, at in praesenti solum
de historice notis sermo est, atque
haec sufficiunt ad argumentum
morale. — Praeterea gentes ipsae
historice notae, dicuntur, consen-
tisse non absolute omnes, sed
moraliter omnes. Excipiuntur
scilicet tum ii omnes, qui
Deum esse negant, tum ii de
quibus dubitari forte potest
utrum Deum esse noverint, quia
utraque classis
a) et minima sit prae iis, qui
Deum esse affirmant
b) utrinque classis nulla sit
a uctoritas, dici merito potest,
universum genus humanum his-

torice notum semper et ubique in affirmanda Numinis existentia consentisse.

2). Numen in quo affirmando humanum genus convenire dicitur

a) neque est Numen aliquod determinatum

b) neque tale, ut ipsi tributae sint solum notae supremi Numinis propriae; haec gener: unum, aliae aliud sed omnes aliquod esse affirmant. Et quamvis pene omnes Numinis ideam depravaverint, omnes tamen ita consensere, ut aliquas saltem notas Numinis proprias noverint.

Demonstratio. Factum demonstrandum est, –

a) testibus b) documentis c) monumentis.

A. Testes sunt: α) philosophi omnes, qui universali gentium consensu

usi sunt ad demonstrandam Numinis existentiam; β) Athei omnes, qui vel consensum talem ab aliquo erroris fonte dimanare dixerunt, vel ad consensum negandum confugere, aut ad gentes ignotas, aut rectam Numinis ideam, aut ad barbaras quasdam gentes, de quibus dubitare forte possit, utrum noverint Numen. γ) Directi testes sunt historici omnes, ac viatores sive veteres, sive recentiores, qui data opera penitius mores gentium investigarunt.

B. Documenta certissima sunt: α) poemata antiquissima gentium omnium; β) cantus populares; γ) deorum historia ac mythologia; δ) linguarum vivum documentum.

D. Monumenta sunt α) templa, ara; β) sepulchra, pictura, statuae, numismata;

γ) d) domestica supellex, arma, ornamenta. Liceat rem concludere verbis Tulli. Ex tot generibus nullum est animal, quod non habet notitiam aliquam Dei. Ipsisque in hominibus nulla est gens tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum esse sciat.

Obiiciuntur. Bayle. Ut consensus unanimis asseratur, necesse foret, omnes noscere gentes, at a veteribus populis, plures incogniti fuere semper et etiam modo sunt, qui non sunt cogniti.

Respondetur 1°. Nobis sermo est de humano genere historice noto, quod abundanter sufficit, ad finem, quem intendimus.

2° Pars ea humani generis, quae historiae ignota extitit et existit in idem consentire dicenda est. Constat quod quoties nova gens cogni-

gnita est, semper inventa est in idem consentire. Causa ergo debet adesse universalis cum humana natura conserta, quae hujus consensus est origo.

Instat Bayle aliique. At etiam multi e cognitis hominibus non consentiunt; 1) viatores plures referere populos apud quos nulla religio erat; 2) Plurimi e philosophis negarunt esse numen. Numquid pantheistae qui plurimi sunt, dicendi sunt consentire? 3) Historice quoque plures gentes dixere atheas; 4) quin immo illi ipsique dicuntur convenire, non conveniunt. Numquid Numen dicendum est ens passionibus obnoxium? At in hoc gentes fere omnes consensere.

Distinguo: Multi e cognitis, qui relative sunt pauci, concedo; qui

multi sunt relative – nego.
Ad primam probationem; 1°) via: tores, qui non bene rem examinarunt, quique proinde ab aliis infirmius rem perspicientibus errasse reperti sunt – concedo; qui rem ut reapse erant, cognoverunt – nego.
2°) si qua gens est de qua dubium est positum, ut de quibusdam barbaris populis certum est, talem fuisse gentem, quae a brutis, feris, via discernabatur, adeo in ipsis rationis lumen obtenebratum erat.
Ad secundam probationem:–
1°) sunt relative pauci; 2) saltem fere omnes pravissimis moribus fuere itaque turpissimae voluntatis; 3) testibus Platone et Bayle ipso, ab adolescentia usque ad senectam in hac opinione, quod Dei non essent, non perseverarunt.

Ad secundam partem secundae probationis respondendum est. Duplicem distinguendum esse pantheismum, transeuntem, qui ponit omnia esse a divina substantia, sed Deum a mundo distinctum; et immanentem, qui ponit omnia esse unum diversimode modificatum.

Qui primum tenent, ~~Mundum~~ Numen ponunt a mundo distinctum

Ad tertiam probationem. Ab historicis quasdam gentes dictas esse atheas, vel quia Deos plures non ponerent, ut Judaei et Christiani; vel quia etsi numina ponerent, practice erant ipsi, ac legum omnium divinarum violatores.

Ad quartam probationem. Non consensere omnes gentes in Deo vero agnoscendo – concedo; non consensere in agnoscenda aliqua in qua aliqua forent divina attributa – nego.

Numquid non omnes felices esse volumus, quia plurimi felicitatem in iis collocant, quae felices efficere nequeunt.

Propositio II. Humani generis consensus eos habet characteres, qui manifeste indicant, consensum originem habere ab aliquo veritatis fonte. Quare ut certissimum haberi debet, Numen aliquod existere.

Demonstratio. Perpendenda sunt tria haec — 1°) quid est in quo consentiunt, 2°) qui sunt, qui consentiant, qui vero, qui non consentiant; 3°) quomodo consentiant.

1°) Id in quo consensus adest, est sententia, tum pro vita intellectuali, tum pro vita practica, maxime fundamentalis. Posita Dei existentia unus adest ordo veritatum, posita non existentia, alius ordo prorsus diversus.

In hac re decipi est idem ac decipi in re maxima, a qua maxima quoque dependent.

2) Qui consentiunt in re, quae vitae rationali et practicae fundamentalis est, est fere totum genus humanum, exceptis iis solum, qui obtenebratum maxime habent intellectum, vel depravatissimam voluntatem.

3). Modus vero talis est, ut disquisitionibus factis, spretis alterum cavillationibus, rejectis passionum vocibus, sententia existentis Numinis custodis ac vindicis naturalis legis omnes pervadat vitae partes omnibusque modis se firmiter manifestat.

His positis liquet, quod si Numen non existit.

1) soli ii errorem fugiunt, qui obscuratum habent intellectum;

2) soli pauci veritatem cognoscunt

qui depravatissimam habent voluntatem.
3) caeteri vero omnes fatali necessitate decipiuntur in re fundamentali eo magis, quo sapientiores sunt et honestiores.
4). proinde intrinsece decipiae sunt rationales facultates;
5) scepticismus erit verum systema.
quae cum absurdissima esse, sit evidentissimum, dici debet, consensum humani generis ab aliquo manare veritatis fonte; ideoque certum esse, existere Numen.
III. Propositio. Cui ab atheis ponuntur erroris fontes, e quibus sententia communis manaverit existentis Numinis a) non modo multi sunt, sed b) ex illis ipsis ostenditur, consensum effluxisse ab aliquo veritatis fonte
NB. Proponimus 1°.) qui asseruntur

fontes erroris e quibus dicitur com:
munis sententia emanasse; tum
2) demonstrabimus, non modo, nullos
esse, sed causae nostrae prodesse.
I. Inquiunt Athei, universalis consen:
sus characteres veritatis habere dicitur,
vel quia universalis est, vel quia
consensus est in re tali. At solam
universalitatem non sufficere ex
eo liquet, quod in pluribus, universa:
lis consensus erroneus deinde repper:
tus est, ut in motu solis et Deorum
pluralitate. – Quod si dicatur, con:
sensus non ut universalis sed ut
talis esse veridicus, apponi haec
possunt. Plures simul causae
intrinsecae homini et extrinsecae,
hominem impullere in hunc erro:
rem. Primo humana mens est hujus:
modi ut α) semper causas rerum
inquirat et β) nesciens res explica:
re juxta rei veritatem ob innatam

superbiam causas ponit obscuras et ignotas, ut videre est in veterum physicorum scriptis; i) immo talis est humana mens, ut portentosi ac miraculosi sit cupida, ut etiam pueris videndum est. Unde effectum est, ut homines Numen ponerent. Ignorantia causarum conferre Deorum – cogitat impariem res, et concedere regnum quorum operum causa nulla ratione videre. Possunt et fiere divino Numine reutur.

Posita hac causa accedit alia, id est innatus timor, siquidem admissa invisibili causa, quum terribile aliquid accidit, huic invisibili causae rem tribuent homines. Cetera, quae fieri in caelo terraque tuentur – Mortales pavidis cum pendant mentibus – saepe – Efficiunt animos humiles formidine Divum.

Hisce intrinsecis causis accedunt et extrinsecae:

a) educatio prima, qua fit ut primae ideae ab animis avelli non possint.

b) legislatores et sacerdotes, qui non primo ideam invexare, sed ipsa usi sunt tum ad publicam tum ad privatam utilitatem.

II Respondemus, nos non ex universalitate sola sed ex characteribus, qui in tali consensu sunt, colligere ipsum oriri ex aliquo veritatis fonte. Motus ~~ahen~~ et polytheismus adduci nullatenus possunt, cum primus nec veritas fundamentalis sit et erroris causa sit apparentia, alter vero nec fundamentalis est, nec universalis, nec passionibus adversatur et erroris causa in mentis limitatione est. – Quod addunt athei de tali determinato consensu, sit quid valet, probat consensum

ab aliquo veritatis fonte originem ducere. Et sane neque educatio neque legislatorum fraus causae principes esse potuere, id fatentibus saltem quibusdam ex atheis, Primus in orbe Deos fecit timor. – Arduo coelo fulmina cum caderent." –

Jam vero illae ipsae, quae dicuntur extrinsecae causae evincunt neque veras esse, quas ut intrinsecas asserunt. Sane cum agitur de re quae passionibus adversatur, qualis est sententia existentis Numinis, ipsam educatione recipi, confirmari legislatorum auctoritate ac sacerdotum consensu universalitati magis obest. Humanae mentis natura est, ut quae terriculamenta a pueritia recepit, novitatis amore respuat, nisi percipiat, rationale admodum esse, quod ab infantia susceptum est. Amant homines subtrahere se a doc-

trina veterum et videri novarum rerum inventores. Si in omnibus id contingit, contingit maxime in iis, quae passionibus adversantur maxime. - Ergo hoc ipsum quod homines retinuerint tenacissime, sententiam viridius numinis educatione susceptum, indicium est a veritatis fonte evidentissime manasse. Idem dicendum de legislatoribus ac sacerdotibus. Legislatores ad propriam firmandam auctoritatem, sacerdotes ad bona fortuna extorquenda hac sententia usi essent. Atqui si vera est sententia, omnia intelliguntur facile, si vero falsa, homines ex ipso pecuniae amore acti, ni independentiae fuissent impulsi ad oppositam sententiam potissimum post atheorum monita jam a pluribus saeculis facta. Ut contrarium prorsus accidit,

quare ex his indirecte concludi potest, nec ignorantiam nec metum extitisse causas consensus. At directe respondeamus. Inquiunt Athei, homines ita esse constitutos, ut causas inquirant et innata superbia fieri, ut ad incognitas et invisibiles confugiant, cum verae causae non patent. At quaero innata superbia impellit homines ad confugiendam causam, quae superbiam ipsam hominis deprimat, causam, quae passionibus adverse. Cur quae sit scelerum vindex et impellit ad permanendum in sententia eadem, etiam disquisitionibus plurimis factis ad respuenda monita eorum, qui eos liberare conan. Cur tot monitis et cavillationibus ab ephimera hac causa? Dicendum ergo est humanam mentem intrinsecus esse vitiatam. Duae sunt hypotheses, prima quod existat Nu-

men et evidenti ratione cognoscatur, -altera, quod non existat, at existere censeatur ex ignoratione causarum. In prima explicatur optime, cur plura, quae immediate sunt referenda causis secundis, referantur Numini; in altera ponenda est ipsa ratio vitiata intrinsecus. Idem dici potest de metu. Missam faciamus ideam Numinis esse vindicis quidem sed prime entis maxime Benefici, quod fieri non potest, si primus in orbe Deos fecit timor.— Certe praesupposita evidenti cognitione Numinis, constans et universalis timor explicatur, immo indicium est evidentiae, at evidentia non praesupposita ipsa ratio timoris-adversari dicenda est consensui. Si constanter et universaliter etiam post atheorum monitas metus perseverat et perseveravit ita,

ut sit efficax contra passiones, cer=tissimum et evidentissimum esse debet, quod timorem incutit. Timor facit atheos irrationabiles non Dei induit ideam et constanter inter homines conservat. —

Quare quae dicuntur de ignorantia, metu educatione legislatoribus ac sacerdotibus talia sunt, ut magis manifestent consensum esse ex veritatis fonte aliquo.

Thesis IV. Veritatis fons, a quo consensus dimanat, non est sola praecedentium aetatum auctoritas.

Praenotiones: Veritatis fontes sunt vel extrinseci vel intrinseci. Auctoritas humana extrinsecus est fons veritatis. Auctoritatem locum habere in universali consensu patet; omnes enim homines demptis primis in prima ipsorum aetate sem a majoribus recipiunt et in plurima alia

quae ad vitam sive physicam sive moralem spectant, tenent ideo, quia ea tenenda esse a parentibus recepe-runt, ita hoc ipsum contingit, quo-ad Numinis existentiam.
Idea Numinis est beneficae quidem naturae conceptus et simul ut con-ceptus custodis naturae legis, quae ita bona distribuat, ut simul in praesenti vita saepe puniat, post praesentem vitam vero severis pa-nis improbos attingat. Cum reli-gione conserta plurima sunt, quae pasionibus adversantur, maxime avaritiae, potissimum super-biae libidini atque irae. Atqui haec idea servari diu non potuisset ex sola praecedentium aetatum au-ctoritate sine ullo aeque evidenti argumento potissimus adversanti-bus saepe atheis. Est ergo philoso-phice evidens aliud haberi argumentum,

ad veritatis fontem. Est etiam historice evidens in quaestionibus hisduabus de Numinis existentia atque animarum immortalitate, quas fieri ab hominibus saepe certissimum est affirmativa assertio non sola praecedentium aetatum auctoritate tradita est, sed pluribus additis rationibus, quibus confutati sunt athei et ad quas respectus semper sunt habiti. —

Propositio V. Fons veritatis universalis consensus nequit esse immediata evidentia in intuitione posita qualem communiscuntur Ontologi. —

Nequit esse intuitio Dei quia reapse nulla est; et quia si adesset qualem ontologi dicunt, ex ipsa consensus origine habere non potest.

1º. Non adest, ejus enim conscientiam non habemus, habere autem deberemus, cum ipsa factum internum

sit ad intelligentiam pertinens atque ita pertinens, ut in Ejus intuitione caetera cognoscerentur. Non adesse pariter demonstrat ipsa idea quam Numinis habemus. Siquidem si intuitiva esset, non foret per analogiam et negationem qualis est, sed propria. His adde quod a) nec athei adessent, nec b) tot errores quoad divina attributa et polytheismum et denique non finita infinito tribueremus sed via versa.

IIº Etiam permissa intuitione qualem ontologi asserunt esse nequiverit causa consensus cum ipsi fateantur ejus nos conscientiam non habere nec sub reflexione cadere. At quod est hujusmodi dici non potest causa cognitionis et sententiae, quae sub reflexione est. Si omnes ita intuentur Deum, ut intueri reflexe nesciant, nescient reflexe existere

Numen.
Obiiciunt,) Deum esse veritatem primam
Respondeo, distinguo. In ontologico ordine
prima est veritas Deus, at non in
logico. –
Instant 2º. Nonne Deus est movens men-
tem in qualicumque cognitione?
Res. Non ut principium logicum movens
sed ut causa regens, conservans et
concurrens in qualibet actione cujus-
libet causae.
Instant 3º.) Ens non potest non esse,
seu necessarium est, veritas est pri-
ma in ordine logico mentem regens
in judicio quolibet:„ Ens vero quod non po-
test non esse Deus est."
Res. Principium logicum caeterarum
basis non est „ Ens quod absolute
reale est, est necessarium„ sed est";
quidquid est hypothesi, quod sit, non
potest non esse.
Instant 4º). Est ipsum reale ens abso-

lutum. Sane illa est ratio entis in necessitate percepta, quae est ratio boni in amore primo humanae voluntatis. At ratio boni prima in humana voluntate est infinitum bonum, cum ipsum sit finis qui primus in intentione esse debet cum ipsum sit tale, ut ideo in caeteris cum acquisita sunt, quia scilicet reperiuntur non esse id quod appetebatur.

Res. Infinitum esse primum bonum dignitate non primum, tempore quod appetitur est evidens. Finis est, non quia in intentione est primum sed quia caetera ad ipsum adducunt et postquam est cognitum ad ipsum caetera ordinari debent. Caetera non satiant, non quia reperiuntur non esse quae quaerebantur, sed quia amplitudini voluntatis non respondent.

Propositio XI Neque dici potest Deum esse veritatem per se notam quoad nos ipsa idearum analysi immediata. _ Ideoque neque hoc sensu immediata cognitio est fons universalis consensus.

Praenotiones. Per se nota propositio dupliciter dicitur,

1) per se, sed non quoad nos –
2) per se et quoad nos.

Prima est ea omnis in qua praedicatum est absolute de essentia subjecti etsi id nobis immediate non innotescat. Dicitur nota per se, quatenus veritas ipsi inest per se seu per essentiam subjecti, et non per rationem aliquam extrinsecam essentiae. Cum vero veritas sit cognoscibilis dicitur per se nota. –

Secunda est, quae non modo hoc habet, sed quae illico explicatis terminis innotescit sine ullo medio.

Deum existere dici potest de essentia subjecti, ideoque esse veritatem per se notam in se, minime vero quoad nos.

Declaratio. I°. Si veritas per se nota quoad nos non foret probabilis dissensus, qui adest, nec foret de facto in solvenda controversia ac ratio quam homines adhibent. Interrogetur de veritatibus per se evidentibus terminos explicant, interrogetur de veritatibus per se non evidentibus ad auctoritatem ac rationem aufugiunt. —

II°. Id liquet magis si consideremus explicationem, quae affertur ab adversariis, ut evincant Deum esse per se notum quoad nos.

Dicunt. Audito et explicato Dei nomine concipimus „Ens, quo nihil majus." Concipi vero non potest Ens quod sit tale ut nihil

illo majus et tamen non existat. Explicato ergo Dei nomine concipimus ipsum Deum existere. Deum ergo esse est veritas, quae ipsis explicatis terminis per se innotescit, seu quae est per se nota quaedam.

Respondeo I°. Si quisque supra se reflectat sentiat declarationem hujusmodi non gignere eam lucem, quam gignunt declarationes veritatum, quae sunt immediatae.

Resp. II°. Assumantur praemissae syllogismi positi. Nulla est, quae vitiosa non sit.

Prima praemissa est „Audito et explicato Dei nomine concipimus Ens, quo nihil majus". Quis ignorat quid sit Numen, et utrum existat audito Dei nomine atque audita explicatione concipit, vel a loquentibus eo nomine significari ens quo nihil majus quia

videat utrum ipsum sit intrinsece possibile, vel percipit ipsum esse etiam possibile intrinsece, quia ipsum intueatur, vel denique ipsum intuetur. Hoc postremum falsum vidimus. E primo concludi nihil potest, alterum vero est falsum. E primo concludi potest tantum a ponentibus Deum, poni Ens quod essentialem habeat existentiam. Alterum vero est falsum. Possibilitas entis, quo nihil possibile majus sit non est evidens immediate. Perfectiones, quas nos proprie incipimus, tales sunt, ut in iis repugnet gradus quo nullus major possibilis et consequenter, Ens quo nihil majus. Utrum dentur aliae vel non possibiles perfectiones analogae his quas videmus et in quibus possit verificari excellentia qua nulla sit major possibilis immediate

non apparet. Quare tota corruit basis declarationis adversariorum.

Secunda praemissa est „Ens quo nihil majus, non potest non concipi nisi ut existens." Permittatur prima praemissa ut vera. – Verum est scilicet Deum esse intrinsece possibilem, et potissimum intrinsecam possibilitatem entis infiniti seu quo nihil majus et esse evidentem immediate. At permittatur. Praemissa secunda aequivocationem manifestam continet. Sane ens quo nihil majus, quod non percipimus perceptione intuitiva, sed solum componendo notas entis, perfectionis, ordinis maximi, percipietur, ut intrinsece possibile, ut in ordine conceptus efformati a mente, quae ut conceptum efformet ponere debet etiam conceptum existentiae. – Vita, non debet mens affirmative reapse existere sed debet ponere

conceptum existentiae actualis ut intrinsecum elementum entis quo nihil majus. Cum ergo non intueor hominem currentem, sed conceptum mente affirmo, debeo ponere elementum existentiae neque enim concipere currentem, qui non sit habens existentiam, seu in elementis ponendum, ut ideale elementum existentis. At ut ineptissime quis diceret „Concipio currentem. Currens continet existentiam. Ergo existit currens. Ita inepte dico „Concipio ens, quo nihil majus. Ens quo nihil majus continet existentiam. – Ergo existit. Evidenter transitum facis ab ideali ordine ad realem assumendo terminum „existentiam" duobus diversis modis contra logicam sanam. Adde. Non potest concipi Ens quo nihil majus, ut mere possibile. Non possumus concipere Ens, quo nihil majus

ut mere possibile i. est ut non existens sed potens transire e non existentia ad existentiam, concedimus. Neque possumus efformare conceptum hominis actu currentis qui non existat sed in potentia sit ad non existendum, si enim concipio ut actu currentem, concipere debeo conceptu a me efformato ut actu habens existentiam. Non possumus concipere ens quo nihil majus, ut mere possibile id est possibile intrinsece quin sciamus utrum a parte rei sit vere Ens quo nihil majus, quod efformavimus in ordine ideali negamus. Hoc scilicet quærimus Ens quo nihil majus, seu Ens quod in sui conceptu postulat existentiam realem ut elementum ideale, reperiturne etiam a parte rei? vel est sola notarum compositio a mente efformata?

Thesis VIII Deum esse demonstrari nullatenus potest argumentis a priori, vel ut dicunt a simultaneo. Ideoque concludi debet veri. tatis fontem a quo consensus originem ducit esse debere argumentum aliquod a posteriori.

Argumentum a priori habetur cum quae colligitur nota vel res, colligitur vel ex reali ejus causa, vel ex nota aliqua, quae sit in objectivo ordine ratio con. sequentis et sit aliquo modo objective prior. Argumentum a simultaneo est cum quae colligitur nota sit simul sed in objectivo ordine ita, ut quae colli. gitur non sit posterius solum in ordine logico, ut contingit in argu. mento posteriori. His positis liquet. 1.) Deum esse demonstrari non posse a priori eo sensu, quod ex ejus causa proprie dicta existere colligitur. Deus enim cum sit ens improductum nullam habet causam.

11:) non posse demonstrari ea nota, quae non sit causa sed ratio ontologica prior, objective aliquo modo vel saltem simul. Etenim talis nota vel assumitur ut solum idealis et intrinsece possibilis, vel assumitur ut realis in ordine objectivo a se existens. Si hoc secundum dicas ponis in praemissa existentiam entis habentis talem notam, seu principium petis. Si dicas alterum nihil pro reali ordine poteris a priori vel a simultaneo concludere. Cum argumentum a simultaneo vel a priori ex nota conficis, ita rationari debes:

D = S = Existens: Ergo: D = Existens. Atqui D et S sunt in hac hypothesi solum in ordine ideali, ergo existens erit in ordine ideali. Dicis in prima praemissa terminus D idealis continet conceptum S idealem,

etenim praedicatum est identicum subjecto, seu est in eodem ordine. Addis in secunda sed I idealis continet Exi-stens. Utique sed ideale. Ergo concludi poterit existentiam conceptum esse essentialem concepti Dei, ut conce-ptus existentis in concepto currentis. At non poteris asserere existens rea-pse nisi currens ut reale sit posi-tum.

Haec quidem verissima sunt etiam supposito quod pateat conceptum a quo fiat argumentatio, vel im-mediate vel a priori saltem demon-stretur ut possibilis intrinsece ne-utrum esse.

Thesis VIII. Ex mirabili mundi ordi-ne colligitur existentia Dei sub conce-ptu summi ordinantis.

Rejectis argumentis a priori et a simul-taneo nihil superest nisi argumen-tum aliquod a posteriori. Ea vero

sunt plura. et rerum ordine inci-
piamus.
Argumentum ex ordine aliud est quo-
ad formam quod modo vulgari ab
omnibus intelligitur, aliud quod
modo magis philosophico ex ordine
potest erui. Sit 1° modo vulgari.
Terra et ea, quae in ea sunt coelum-
que considerando humana mens
illico perspicit rerum dispositionem
pulcherrimam et contingentem.
Pulcherrimam esse dispositionem patet
evidentissime consideranti infinita-
tem plantarum, et animantium
species, ac generationes, telluris
cum mari ac cum aëre conne-
xionem, diei ac temporum successio-
nes, siderum evolutiones. Ordinem
hunc ptb pulcherrimum materiae
essentialem non esse, est eviden-
tissimum. Rebus et naturis
constitutis physica necessitate

res sibi succedere, demptis iis, quae ad humanam voluntatem spectant, certum est. At ipsa naturarum constitutio est contingens, idque immediate patet. Ubi mare est, potuit esse tellus, ubi tellus potuit esse mare, oriri potuit sol ubi occidit, essentia materiae non postulat, ut in tali dispositione sit potius, quam in alia. Praeterea menti facile innotescit dierum, annorum successiones exordium habere debuisse. Speciem quamlibet plantarum, atque animalium, quae generatione continentur exordium debuisse habere. Quare hic ordo contingens, cum sit temporaneus, incipere debuit et ab alio debuit esse. Ita quo^d quo pulchrior est ordo eo postulat magis intelligentem ac sapientiorem causam. Quanta debet esse sapientia praeditum ens

quod ordinis hujus est causa, si sapientissimi habentur, qui hujus nisi ordinis particulam aliquam intelligunt. Quantum erit, qui ipsum integrum ordinem effecit? Aspectu igitur mundi hujus facili ac obvia demonstratione mens adducitur ad cognitionem entis a quo ordo sit conditus.

Vulgari demonstratione magis philosophica accedat. Si primo consideretur natura rationalis. Conjunctio animae cum corpore non est ex essentia ipsa animae et ex essentia corporis, ita, ut anima ex sui essentia hoc habeat corpus; et corpus ex sui essentia hanc habeat animam citra influxum causae alicujus intrinsecae. Esto quod anima uniri postulet alicui corpori. Postulabit quidem, sed ita, ut causa indigeat uniente et

componente, cum ipsa sit indifferens, ut uniatur huic determinatae materiae potius quam alteri ~~potius~~ prorsus aequali. — Materia de se indifferens est, ut disponatur potius hoc modo ac alio, et informetur ab hac potius quam ab alia anima rationali. Causa ergo postulat aliquem unientem. Dices: Hae causae erunt leges physicae generationis. Transeat. At ipsum generans ex rationali et materiali substantia est compositum. Cum vero in generantibus non potest procedi in infinitum debet poni primum aliquod ens non generatum et generatione compositum. Hoc vero debet:
1°). Ens intelligens et liberum. Siquidem quidem, cum nulla sit ratio ex parte objecti cur hae potius molleculae materiales assumerentur ad componendum corpus hu-

mamum, quam aliae similes, debet se determinare per electionem. Intelligens esse debet quia liberum requirit non esse intelligens. Debet 2) praeterea esse summe intelligens, quia unitio animae rationalis cum corpore tam sublimis est, ut mens humana intelligere ipsam non valeat. E duabus substantiis materiali et spirituali unam efficere naturam indicat mentem incomprehensibilem, ut opus quod efficitur. In talium ne considere dependentiam animae a corpore, ac corporis ab anima, dependentiam mentis a sensibus sensuum ab organis, nexum, facultatum sensibilium cum multiplici objecto. Compositio haec talis est, ut mirabilior sit quodammodo creatione. Summa ergo et excellentissima praeditum esse debet sapientia liberum illud intelligens, quod

talem synthesim efformavit.
Debet 3º) praeterea esse similitudine potens, executum est enim opus, in quo exequendo non agitur de materiae dispositione, sed de conjunctione materiae cum spiritu, quae non fit per qualemcunque juxtapositionem vel penetrationem. Conjunctio talis non videtur fieri posse aliter quam nutu aliquo potentissimae voluntatis, quae agendi satis infinitatem includit. At hoc omisso certum est ad ipsam unionem perficiendam potentiam requiri, quae agat modo, qui humanae mentis captum superat.
4º. Tale ens summe intelligens ac potens spiritus et purus spiritus. Spiritus quia intelligens ac liberum, quia materia circa quam versatur ejus operatio sunt spiritus materiae conjungendi. Purus spiritus

quia secus et ipsum debuisse compo-
ni cum materia, nec prima esset
causa Entis compositi ex materia
et spiritu. Considerata ergo sola natu-
ra rationali corporea, colligitur exis-
tentia spiritus puri, summe Intelli-
gentis ac Potentis, qui sit extrinseca
mirabilis hujus operis causa ordi-
nans. Eadem dici possunt de infini-
tis animantibus speciebus in qui-
bus est pariter mira illa compositio
duplicis substantiae in unam naturam.
Considerentur modo naturae solum
corporeae. Omittamus rationes specia-
les compositionum in quibus est
complexus propemodum infinitus
ordinis symetrici et ordinis causa-
rum finalium tum partialium
pro qualibet natura tum universa-
lis pro subordinatione naturarum.
Consideremus solum dispositionem
primam quam materia debuit

habere. Cum in diversis dispositio-
nibus, quas materia habere potuit,
sit ponenda prima inquiramus
undenam materiae primae dispo-
sitio in spatio sit. Sine aliqua
dispositione in spacio materia esse
non potest. At certe qualiscunque
illa fuerit, non fuit ~~ex~~ materiae
essentia; etenim materia seu
materiae elementa sunt per se indi-
fferentia ad qualemcunque dispositio-
nem. Poterant elementa distare in-
ter se magnis intervallis poterant
parvis, poterant omnia esse in
linea recta poterant et aliter esse
disposita. Ergo debet esse extra
materiae elementa ratio realis pri-
mae dispositionis, seu debet extare
Ens quod primam materiae dispositio-
nem dederit, seu debet esse extra
materiam causa potens a qua
fuerit prima dispositio. Atqui causa

primae dispositionis debuit esse hujusmodi, ut ambitus ejus potentiae pateret tantum, quantum patet possibile spatium seu debuit esse causa, cujus activitas esset immensa. Pone causam, quae limites habeat in spatio atque solum agere valeat in determinato aliquo loco. Haec certe non poterit esse ratio sufficiens primae dispositionis elementorum. Etenim haec per se sunt indifferentia, ut sint primo tum intra limites spatii in quo causa dicta posset agere tum extra. Causa vero limitata in spatio activitatis, non potest esse ratio, cur potius sint intra ~~ipsius~~ suum spatium quam extra, quia ipsius relativitas non porrigitur extra proprios finitos limites. Causa, quae habet limites activitatis in spatio poterit disponere, quae reperiantur jam

in spatio activitatis suae, ideoque jam habent dispositionem primam; sed non poterit esse ratio cur primo reperiantur in spatio suo potius quam extra. Ergo cum prima dispositio non sit ab ipsa materia et cum causa limitata quoad activitatis ambitum nequeat esse causa cur elementa sint potius intra ejus limites quam extra, ponenda est causa, quae habeat activitatis ambitum infinitum. Ergo ex mirabili dispositione mundi praecisione facta a creatione colligitur existere causam quae sit, a) intelligens ac incomprehensibiliter intelligens – b) libera ac potens et incomprehensibiliter potens in mundo agendi – c) cujus activitas nullis continetur limitibus in spatio activitatis – d) qua sit spiritus, ac purus spiritus. Existit ergo magnus spiritus mundi ordinator. Quae

opponi possunt ad haec revocantur.
I. Positis ab aeterno existentibus atomis infinitis fortuito atomorum concursu possunt omnia explicari. Ergo ex praesenti rerum ordine non colligitur causa ordinis praeter ipsam materiam.

Res. nego antecedens. Praesuppositis atomis aeternis et si infinitis praesunt hypotheses falsae, sed nondum ut falsae demonstratae, praesupposito etiam motu, ut essentiali atomis, colligitur existere causa prima ordinans. Sane atomi aeternae dispositionem habere aliquam debuerunt in spatio et ex se indifferentes sunt ad qualemcunque. Si ab aeterno sunt, et etiam si lubet in motu essentiali, praesens positio pendebit a praecedente, praecedens a praecedente, atque ita porro in infinitum.

Non quaero utrum possibiles sunt infinitae positiones infinitae successive, quasquisque videt impossibiles esse, cum si infinitae extitissent non potuissent descendendo perveniri ad praesentem positionem, ut nos ascendendo per totam aeternitatem non possemus pervenire ad primam. Certum est in unaquaque mollecula etsi seriem infinitam mutationum postulaverit ex sui essentia, cum quaelibet et plures sint similes naturae et essentiae quaelibet et indifferens ad haben-dam hanc seriem infinitam atque alterius molleculae, quae est sibi in essentia similis, ergo re-quiritur extra ipsam essentiam molleculae cujuslibet ratio suffi-ciens totius seriei motuum de-terminatorum. Requiritur ergo cau-sa extrinseca materiae, quae

determinavit seriem motuum infinitorum, essentialium quidem, secundum rationem genericam, quatenus materia debeat esse in motu; sed non essentialium quatenus hanc potius seriem quam aliam habere potuerit. Ergo existit causa ab aeterno, quae sit ratio horum determinatorum motuum. Sed atomi ponuntur infinitae numero. Ergo activitas hujus causae sese extendit ad omne possibile spatium quod occupare debent atomi infinitae. Sed causa haec movens, debet esse adaequata ratio, cur atomus aeterna per se indifferens ad diversam motuum seriem hanc habeat potius quam aliam. Ergo debet esse intelligens et libera. In sola enim libertate reperietur ratio, cur atomus quae essentialiter postulabit infinitos motus

sed non potius hos quam alios, hos potius habuerit, quam alios. Ergo facta etiam hypothesi absurda materiae aeternae materia essentialiter in motu, materiae quae sit in motu et tamen ejus elementa sint infinita et omne occupent spatium ponenda est causa prima extra materiam libera, potens immensae activitatis. Ceterum omissa atomorum aeternitate, de quo modo non disputamus, sed acturi erimus agendo de materia ipsius creatione, quis concedere poterit infinitos successivos motus? quis motum materiae essentialem? Praeterea animi quoque aut compositi e mollecculis fortuito concurrentibus vellet ipsi quoque fortuito conjuncti sunt cum materia?

II°. Saltem subdunt nescimus utrum causa adsit extrinseca cum nescia-

mus materiae vires.
Res. Scimus materiae vires agere non posse nisi molleculae suis in locis constituantur. Ad hoc vero vidimus requiri Ens intelligens ac liberum.

III. At causa etiam non intelligens opus ordinatum efficere potest ut videmus in tellure in sensinibus ac magis in brutis. Ceterum certe non requiritur summe intelligens cum tot sint inordinata.
Resp. Opus quodlibet in prima sui ordinatione ac etsi quando est consti: tuta possit quis intelliget semel evolvere et explicare. Sunt quidem plura ac maxima mala sed haec moralia sunt, ab humana men: te pendent potissimum malum maximum Atheismum. Haec non istipendiunt Dei sapientiam cum ab ipso non sint, sed permittan:

tur, ut unusquisque libere agens accipiat praemium boni operis. Quae vero mala sunt physica non efficiunt, ut non sint plurima bona ordinatissima. Ceterum ut mala simpliciter dicantur necesse foret integrum complecti ordinem. Jam vero quo magis progrediantur scientiae, eo magis apparent bona esse universa, quae prius mala videbantur. –

Thesis IX. Ex mundi ordine colligitur Deus sub conceptu summi boni quod sit causa finalis ipsius ordinis.

In praecedente propositione ex ordine causam efficientem a qua progreditur collegimus, in praesenti terminum ad quem tendit colligemus.

Jam in mundo, quem opus vidimus esse Entis sapientissimi ac potentissimi, liquet res dispositos ordine ut mineralia vegetalibus

haec brutis, bruta hominis animalitati subordinata esse, hominis animalitatem autem ad facultates rationales. In viribus mineralium vegetalium, brutorum atque humanae animalitatis reperimus non solum subordinationem, sed nullam esse vim ac facultatem, quae proprium non habeat objectum.

At pone Deum non existere verum summum ac summum bonum, quod sit objectum satisfaciens rationalibus facultatibus, mundus erit coacervatio absurditatum, esset enim series mediorum subordinatorum, quin adesset finis ad quem diriguntur. Omnia inferiora ad intelligentiam subordinarentur, ut media, haec vero sublato Deo non haberet id ad quod unice inferiora ipsam adducere debent, cum ipsa nequeant esse intelligentiae finis. Hoc argumentum, quod ut

objectum reflexum clarum est, dici potest ab exercito ab omnibus experiri in perpetuo felicitatis appetitu, quem sentimus in finitis rebus non satiari. Cum repugnat tum rationi tum naturae inclinationi, naturam hanc pulcherrimam mundi esse horribilem inordinationem dici debet, extare debere summum bonum, quod sit terminus facultatum rationalium et in quo compleatur tamquam in termino mirabilis hic ordo. Omnes ex una parte ordinis aliam colligere solent, cum quae colligatur pateat exigi ex alia, quam constat factam est a sapiente. At omnis hic ordo, qui a sapientissimo Ente est factus, exigit supremas facultates hominis, cui quas caetera subordinantur, non carere illa parte ordinis, quae sit objectum

supremarum facultatum. Ergo. —
Sublato fine in ordine mundi, qui
sit infinitum bonum idoneum mentis
ac voluntatis amplitudini satiandae
haec sequuntur.
1º.) humana voluntas cum bonum nul-
lum habeat praeter limites hujus
mundi, se convertere debet ad bona
materialia et sublissimae faculta-
tes ordinatae erunt ad rem infirmam.
2º.) Cum humana voluntas insatiabilis
sit nullumque habeat bonum prae-
ter praesens naturale erit bellum
omnium naturarum; ideoque
omnia ordinata erunt ad hoc, ut
species sublimissima inimica
sit sui.
3º.) Voluntas et ratio inter se pugna-
re debent pro se. Ex una parte enim
ratio dictare debet moralem ordinem
servandum, ex alia voluntas ~~ips~~
impelletur appetitione rerum

sensibilium, quae nunc finem constituunt ad violendum rationis ordinem. Quare, causa, quae pulcherrimum ordinem effecit, atque executa est erit sapientissima et inhonestissima.

At posito praeter sensibiles res bono infinito, omnia conspirare dicenda sunt. Rationales facultates ordinatae erunt ad rem sibi convenientem, homines qui natura sociales sunt, conspirabunt se mutuo adjuvantes, et bonum hoi infinitum possideant, quod totum ab omnibus possideri potest. Moralis ordo habebit legislatorem et praemium dignum, quod pro ipso humanae voluntates moralem ordinem conservent. Sine Deo ergo natura rationalis vitiata intrinsece dicenda est, quod, qui ponat interribilem suspicismum et inhorribilem desparationem, incurrere debet.

Thesis X. Ex mundi substantiis colligitur Deus sub ratione Entis existentis vi propriae essentiae, seu Entis, quod mundanarum substantiarum sit causa.

Mundi substantias considerantes facile in his reperimus:

a) mutationes et

b) limitationes, quae a mutationibus praesupponuntur. Quod mutatur vel mutabile est, e nihilo effectum est, idem dicas de limitatione.

Quod effectum est de nihilo supponit Ens aliquod primum, quod necessarium sit, id est existens vi suae essentiae, quodque per creationem sit causa seu ratio existentium mutabilium et limitatorum. —

Mutabilem esse materiam, mutabilem esse Ens simplex, quod in brutis sentit, mutabilem esse animam rationalem, experientia patet

quotidiana. Per se ergo patet prima pars propositionis primae. Mutationem ergo liquet esse in limitatione, quod enim mutatur transire dicendum est de statu aliquo potentialitatis ad actum aliquem, quem prius non habebat et poterat habere. Ergo ex ipsa mutatione et mutabilitate liquet apertissimam esse in rebus mundi limitationem, quae etiam patet ipsas singillatim considerando: nulla enim est in qua, spectata ejus essentia major esse non potuerit.

Declaratur secunda propositio ovitio; quae breves quinque partes habet.

a) quod mutatur vel mutabile est, durationem habet successivam, coalescentem durationibus propriis cujuslibet status mutationis.

Sit ens cogitans, quod e cogitante fiat non cogitans, et viceversa tota ejus duratio continebitur in duratione

vel durationibus in quibus fuit cogitans et ex durationibus in quibus non fuit cogitans. Quod durationem habet coalescentem ex finito numero durationum quarum qualibet est habens exordium et finem. Quod tale est, ex toto incepisse debuit, seu quod in idem recidit temporarium est et ipsi praecessisse debuit nihilum sui et subjecti, ideoque creatum est ex nihilo.

Ergo quod mutatur vel mutabile est creatum est.—

Nulla in hac propositionum serie est, quae non sit evidens et 1a immediate evidens, evidens est secunda. Quod durationes finitae sunt numero liquet:

1°.) Quia si infinitae extitissent non potuissent advenire praesens descendendo, et mens nostra non posset ascendendo venire ad primam, liquet.

2°.) quia constituta esse debuit infi-

nota multitudo praeteritarum mutationum per additionem. Sane quaero per additionem cui? unitatine, seu primae, vel multitudini finitae vel multitudini infinitae. Dici nequit postremum, cum jam praesupponat multitudinem infinitam constitutam ante ipsam additionem; nequit dici secundum, quia addendo numero finito successive, nequit fieri numerus infinitus; etiamsi nunquam desinas addere unitatem aliam. Habebis semper numerum finitum majorem, sed semper finitum. Dici nequit primum, ob eandem rationem. Ergo duratio successiva, quae transiit, continetur numero finito durationum. At qualibet ex his finita est. Finita est certe qualibet, quae primae succedat, cum, qualibet ex iis, quae succedunt primae, habeat initium in cessatione

primae et finem in adventu alterius succedentis. Finita quoque est prima duratio. Sane prima duratio accedente secunda, tota transiit et major est complexus ex prima cum secunda quam sola prima. Prima ergo finita esse debuit. Dices finitam quoque fuisse ex parte consequentis, cui fit additio, at non ex parte praecedenti in qua potest non supponi initium. — Prorsus nego quod dicis id potuisse contingere in substantia mutabili. Sane prima duratio fuisset aeterna sine ~~duratione~~ mutatione, sed quandoquidem ens mutabile erat, secus mutari non potuisset, in aeterna illa duratione, in qua mutationes fieri potuissent adesse mutationes infinitae. At impossibiles has esse vidimus. Neque subdas

indefinitas potuisse tantum esse, duratio enim illa prima tota transit, fuit ergo sine actuali successione, sed non sine possibili successione, apta dierum, horarum, quibus erat, mensurabilis. Ergo quod mutabile est, constare debet durationibus successivis numero finitis, quarum quaelibet finita est. At quod tale est, non fuit semper et ex toto factum est, si enim ex praecedenti substantia esset, jam prius extitisset quoad durationem ipsius materiae ex qua est, et primae substantiae duratio prima non foret.

Ergo ex nihilo facta est substantia quaelibet mutabilis, seu creata est.

b). Demonstratur 2a. Pars 2ae propositionis, id est finitum quodlibet esse e nihilo productum. Sane quodlibet finitum habet determinatum gradum perfectionum illarum, quas habet; sed

exigitur ratio sufficiens, cur tot habeat gradus et non plures. Assume ad exemplum rationem corporis, vel rationem spiritus finiti, quae sunt limitatae ad gradus puta centum. Ratio requiritur cur sint centum et non plures. At ratio haec nequit esse ipsa essentia, ita, ut hos postulet gradus et non alios, secus non posset concipi gradus cum majori vi. Dici non potest rationem (non) esse in essentia sed in ipso ente, quatenus hos dederit gradus, debuisset enim seipsum efficere, cum gradus sit ipsum ens.

Dicendum ergo est rationem graduum esse in alio ente, quod tales dederit gradus, seu quod essentiam, quae indifferens esset et indefinita quoad gradus produxerit integram creando.

Quae diximus in prima parte secundae propositionis probant mundum non esse aeternum et errare omnes eos, qui concesso Deo, ut mundi creatore contendunt non esse quidem mundum aeternum at impossibilem non esse. Deus nequit efficere, quae impossibilia sunt. Quae diximus in secunda parte evincunt, quod etiam permissa mundi aeternitate quandoquidem cum tota aeternitate finitus foret, et debuisset nihilo produci ab aeterno. Omnia derivavimus ex notionibus generalibus mutationis et limitationis. At speciales adsunt rationes non spernendae ex specialibus notionibus materiae et animae. Vidimus materiam omnem indifferentem esse dispositionibus omnibus et primam recepisse dispositionem etiam posita materia aeterna.

Certum quoque est materiam esse indifferentem ad motum et ad quietem, ideoque postulavit aliquod ens, quod dederit motum vel quietem. Quod si dicas necessarium esse motum, debes concedere esse indifferentem ad hunc vel alium, ideoque postuletur ens quod hunc dederit potius quam alium.

At essentia, quae debet recipere ab alio primam dispositionem, figuram, motum, debet ab ipso recipere totum esse, non poterit enim concipi ut realis antecedenter ad primam dispositionem, figuram, motum, sed ponenda est ut solum idealis. Cum vero animae sive rationales, sive irrationales, a corporibus pendeant, ut naturali complemento et parte essentiali naturae dici neque unt existere vi essentiae suae. Si enim vi essentiae extitissent, forent

entia a se et non dependentia ab alio, quod ipsas compleret in suo esse.

Demonstratio tertiae partis svitio. Quod e nihilo productum est, postulat ens improductum, quod creato enti dederit esse. Quod produxit ens creatum debet esse ipsum increatum, quandoquidem ad creandum vis infinita requiritur.

At quoniam hoc suo loco demonstrabimus et non hic, ponendae sunt quatuor hypotheses.

1ª) est quod immediatus actor mundi per creationem sit ens increatum.

2ª) est quod est creatum, sit creatum ita, ut tandem perveniamus ad increatum.

3ª) est quod pergere debeamus in infinitum.

4ª) est quod mutuo se produxerit.

A producit B, A B-C, A C-A. Jam vero sola prima est vera et pro re praesenti etiam secunda permitti potest. Tertia absurda est, quia repugnat qualibet multitudo acta infinita, siquidem haec nequit esse infinita numero ita ut unumquod: que infinitum sit, nequit esse infi: nita ita ut coalescat ex iis quorum quodlibet finitum sit.

Si daretur omnis multitudo infini: ta hominum acta a) deberent esse omnes homines possibiles, b) deberent esse maximi possibiles, sed contra: dictio est homo maximus possibilis. Si absurdum non foret multitu: do infinita qualibet, foret ea quae esse successiva, ut patet ex dictis de mundi duratione. Si absurda non foret successiva qualibet, ab: surda foret successiva causarum, dempta enim prima, nulla ex se:

cundis, quae sunt effectae, causam haberet plenam et sufficientem cum qualibet ex praecedentibus non sit nisi agens viribus receptis et dans quod recepit. Denum si etiam in tali serie posset poni multitudo infinita, haec ponenda esset inter primam et ultimam ideoque ponendum esset ens improductum.

Ultima hypothesis est absurda tum quia repugnat causa adaequate produci posse a suo effectu, tum quia circulus, qui ponitur vel finitis terminis coalescit v. g. A producit B, B producit C, C producit A. vel infinitis; in secundo casu repetenda omnia sunt, quae dicta sunt de hypothesi tertia; in primo casu A esset adaequate prior cui esset posterior.

Ergo ponendum est Ens existens —

vi essentiae suae extra visibilem mundum, a quo mundus sit effectus per creationem.
Contra primam propositionem scribis opponi nihil potest, quod speciem aliquam habeat.
Contra secundam opponi potest.
1°) creationis conceptum esse contradictorium, quia ex nihilo nihil fieri potest. Certe ex nihilo tanquam materia ex qua aliquid producatur nihil fieri potest. At fieri potest ex nihilo, prout nihilum dicit praecedentem terminum seu integram rei effectionem. Talis efficientia ratio non appareret immediata cum nullum sit agens finitum, quod videamus tali modo producere: at apparet evidentissime ratiocinio.
Subdunt. Nec ratiocinio apparere quia possibilitas materiae aeternae admissa sit et a gentilibus et a

catholicis.

Resp. Errasse evidentissime gentiles: catholicos aliquos posuisse, sed ita ut dixerint potuisse creari ab aeterno, ideoque posuisse creationem. At et ipsi erraverunt evidenter cum pateat nullum mutabile aeternum esse posse.

Instant. At mundus potest esse aeternus etsi pro sua aeternitate existentem Deum postulet; ergo ex mundi duratione necessario tempo-ranea nequit esse existentia Dei, colli-gi. Sane.

1°) Mens praeteritam considerans duratio-nem, videt, quod data qualibet duratione praeterita finita, mun-dus majorem habere potuit. Quod vero habet majus quolibet finito, in-finitum habere debet. Habere ergo mundus debet possibilitatem dura-tionis sine limite.

2º. Mundus numquam incepit esse possibilis, sed quam diu fuit possibilis potuit esse sive existere.
3º. Existit sane Deus et ab aeterno existit, et ab aeterno expeditam habet potentiam, sed potentiae respondet effectus; ergo ab aeterno respondet mundus possibilis aeternus.
4º.) Si ab aeterno existeret pes, potuisset in arena imprimere vestigium; certe et pedis vestigium aeternum esse posset. Apari ergo
5º.) Cum immo videtur quod in hypothesi creationis, creatura aliqua aeterna esse debuit. Sane Deus nutu voluntatis debuit dixisse creaturae A sit. Si haec sit, secunda in tertia dicere potuit Deus sit post tot dies vel annos primae. At de prima dicere debuit simpliciter sit. Cum ergo volitionis actus ab aeterno sit, atque ipsi

illico respondere debeat existentia creaturae, creatura aliqua aeterna debuit extitisse in hypothesi creationis. Debuit vero illico respondere creaturae primae existentia. Secus debuisset Deus dicere, sit A in tali signo, seu post tot signa. Quaero quot? non dices, infinita, secus non fuisset possibilis duratio major, at Deus ipse temporaneus esset. Durasset enim tantum, quantum protenditur tempus reale finitum et tempus possibile finitum praecedens reale. Non dices, creaturae primae, durationem praecedentem possibilem esse indefinitam, secus neque unquam venisset signum in quo statum erat creaturae initium.

Resp. Hae omnia ostendunt conceptum aeternitatis proprium nos non habere sed analogum, illumque confundere cum tempore a quo humana mens illum desumit.

Nego atecedens.

Ad primam probationem respondeo mentem considerantem extensionem durationis se habere, ut se habet in consideranda extensione spatii. Videt mens quolibet dato globulo, possibilem majorem. Videt ne globulum ideo possibilem infinitum? Non certe. Ergo a pari. Videt mens qualibet data duratione successive praecedenti possibili dari majorem limitatem — concedo, dari illimitatem nego. Si mens videret integram collectionem praecedentium durationum possibilium successivarum, et videret tota hac integra collectioni dari aliam successive majorem, videret contradictionem in terminis.

At si distributive videt qualibet data, dari aliam majorem, haec major ipsa temporaria quoque erit, ut

contingit in intellectione possibilium
circulorum; quilibet distributive
videt majorem limitatum.
Ad 2^am^ respondeo, ab aeterno est
possibilis mundus temporaneus
„concedo" et possibilitas mundi
temporanei non incoepit „concedo"
ab aeterno possibilis est mundus
aeternus nego. – Ab aeterno non
incoepit possibilitas mundi, qui
haberet 6,000 annos. Ergo ne possi-
bilis est mundus aeternus xx mille
annorum.
Ad tertiam probationem respondeo,
habuisse semper Deum potentiam
expeditam producendi aeternum,
quia aeternitas in natura limita-
ta intrinsece repugnat.
Ad hanc probationem concedimus,
quod si ab aeterno existeret arena,
et ab aeterno pes existere posset,
ab aeterno vestigium aeternum ex

praesupposita existentia aeterna rei finitae. Cum vero possibilitas, quae aeterna est, non est possibilitas rei aeternae sed aeterna possibilitas rei temporariae nulla prorsus est paritas.

Ad quintum negandum est suppositum. Cum res incipit, non ipsi praecedunt infinita tempora finita quae transire debet antequam res incipiat, sed praecedit duratio divina quae est tota simul, quae est alterius ordinis. Non praecedit pars aeternitatis antecedens, nulla enim est pars in aeternitate, quae tota simul est nec in partes est divisibilis. Deus cum sui indivisibili aeternitati nullam habens communem mensuram cum rebus finitis praecedit in possessione plena adaequata durationis infinitae. Dices concipimus tempus possibile prius eo, quae incipit, prima. Certum

hoc est, quatenus ante ipsum initium praecedant tempora possibilia, quae excurrere debeant, antequam res incipiat — nego. Quatenus existente creatura A, quae prima est et cum qua incipit tempus, potest concipi ipsam potuisse non esse primam, et ideo ipsi praeexistere posse duratione limitata aliam creaturam, quae fuerit prima et cum qua inceperit tempus — concedo. Si pono positionem rei unius in spatio, repugnat quod potuerit poni magis ad dexteram vel magis sursum. At ipsa posita concipere alias, quae ad ejus dexteram et ad ejus sinistram ponantur, atque ita concipere possum creaturam A non esse primam in determinata extensione, sed esse in medio. A pari se res habet quoad durationem. — Contra secundam partem propositionis

secundae obiiciunt.

Qualibet res realis finita essentialem eum gradum habet entitatis, quam reapse habet, nullus alius possibilis ipsi est, illo sublato jam res ipsa realis desinit. Ergo realis cujuslibet rei gradus est ab ipsa essentia et non postulatur ratio extrinseca rei ipsi, quae rei gradum dederit.

Resp. Ut pars secunda propositionis ex ipsa objectione lucidior et firmior appareat haec notentur.

1°). Alicui rei aliquid non esse essentiale, dici posse tripliciter.

a) ita, ut rei alicui ita aliud accedat ut abesse possit manente re, quin accedat aliud, quod sit in eodem ordine, ac est primum quod abest, hocmodo motus rectilineus est accidentalis corpori, quia manere corpus potest sine motu rectilineo et sine aliis motibus cujuslibet speciei.

b.) Ita ut manente re possit quidem abesse ratio aliqua determinata individualiter, sed debeat adesse alia individua ejusdem generis vel speciei; hoc modo collectioni alicui elementorum materialium est accidentalis determinata positio in lineam rectam, sed ea sublata succedere debeat alia.

c). Denique aliquid potest esse accidentale alicui rei, ita ut etsi res determinata sine illo determinato esse non possit tamen illud non sit ex ipsa natura ac indole notarum, quae rem seu essentiam constituunt; hoc alicui determinatae rei finitae est accidentalis gradus entitatis quem habet. Sit spiritus realis A, qui ex cognito x in cognitum deducat, talis spiritus est finitus, ipso est intrinsece possibilis alius A' major. Finitus hic spiritus habet gradum $= c^x$, alius possibilis illo

major, gradum habet C'. Utraque convenit in ratione spiritus ex noto colligentis ignotum. Etsi spiritus A non possit carere gradu C, quia cum sua quantitate et gradu est identicus, tamen indoli aut rationi spiritus ex noto ignotum colligentis non est de essentia hic gradus et non alius. Ergo spiritui gradus Q. C est essentialis gradus C, sed non rationi atque indoli spiritus est essentialis gradus C. Ergo in ipso spiritu A gradus C respecti non potest ex ipsa indole rationis spiritus, qua spiritus et rationi spiritus qua spiritus erit extrinsecus gradus C.

2º Cum alicui rei est aliquid accidentale primo modo et hoc, quod accidentale est, ab ipso nullatenus est, ut in corpore contingit, indifferente non solum ad singulares omnes motus distributive, sed ad omnes collective, debet dari ipsi ratio extrinseca, quae

corpori in quiete existenti dederit determinatum motum, quem habet. At non requiritur quod causa, quae primum dedit corpori motum, ipsi dederit esse, potest enim esse sine motu ullo.

II. Cum aliquid est accidentale secundo modo, requiritur quidem extrinseca ratio, quae ex pluribus dederit unam determinatam rationem quarum aliquam disjunctive habere debet. Non requiritur quidem quod causa, quae unam determinatam dederit, debet quoque esse si spectetur singillatim, requiritur vero si spectentur collective quas habuit. — Potest una causa esse ratio dispositionis materiae in lineam rectam, quia materiae dederit esse. Fieri vero non potest ut non dederit esse ea quae omnes, quas materia habuit dispositiones dedit, deberet enim secus concipi materia

determinate existens et praeexistens dispositionibus omnibus etiam prima.

III. Cum aliquid est accidentale seu extrinsecum indoli notarum, requiritur causa extrinseca, quae ipsi sei dederit primum esse. Sane ratio gradus determinati dari debet, quia non quaerimus cur gradus C sit gradus C, sed cur ratio spiritus reperiatur cum gradu C in spiritu A. Jam vero id ex indole et natura spiritus esse nequit.

Ergo repetenda est ex aliquo reali quod sit ratio per se non exigens gradum determinatum in esse. Haec etiam melius intelligentur in solutione sequentis difficultatis.

Obiicitur contra tertiam propositionem.

Possibilia infinita sunt actu, quatenus possibilia. Ergo non repugnat multitudo actu infinita. Certa possibilia sunt plura. Plurali-

Haec autem est vel finita vel indefinita vel infinita. At possibilium, quae possibilium pluralitas nequit esse finita cum qualibet data, possibilis sit major, nequit esse indefinita, secus quae non sunt possibilia in indefinitum possibilia possent fieri. Sunt ergo infinita. —

Resp. 1. Possibilia sunt infinita posita in serie successiva — nego, — posita in serie successiva ita, ut unum ponatur ut causa possibilis alterius nego pariter. Quare si possibilia infinita forent, infinita ad summum, forent in collectione actuali simultanea. Ideoque nihil ex tali multitudine posset colligi ad concludendam causam primam improductam.

Resp. 2. Aliqui sunt, qui distinguunt multitudinem actu infinitam possibilium simultaneam, a multitudine actu infinita realium. —

Subdunt nos habere sermonem de actualium quae est impossibilis certe, si enim multitudo sit realium deberet dari reale finitum maximum quo non sit (aliud) majus possibile. Hoc vero evidenter est absurdum. Quare, inquiunt, data vel permissa multitudine infinita possibilium nihil prorsus dicitur contra propositionem, quae non possibilium est sed realium.

Nos vero censemus permitti non posse multitudinem actu infinitam simultaneam possibilium; hac enim concessa vel permissa permittenda quoque foret, ut possibilis multitudo infinita realium. Cur enim repugnaret realium? vel quia in hac rata collectione daretur, finitum maximum, vel quia data hac, Deus non posset aliud reale praeter has efficere. Atqui primum

valet etiam propter multitudine infi-
nita possibilium, quae permissa est
vel concessa, sed unicum verissimum
est sed nihil evincit. Si esset possi-
bilis maxima creatura Deus majorem
efficere non posset quia nequit im-
possibilia; impossibilis vero est creatura
major maxima possibilis, ita si possi-
bilis foret maxima collectio Deus hac
condita majorem efficere non posset.
Dicendum ergo est, aut impossibilem
esse multitudinem infinitam realem
possibilium, aut possibilem quoque
esse realium. Sed addimus et possibi-
lium et realium est impossibilis, quia
eaedem vigent rationes pro utraque. Ergo
negamus antecedens in tota sua latitu-
dine. – Ex ipso negato postea colligemus
novo argumento ens limitatum quodlibet
esse debere contingens seu productum.
Interim ad probationes antecedentes
respondemus „Possibilia sunt pluralitas"

quatenus pluralitas dicit distinctionem unius termini ab alio quin tamen adsit distinctorum rata collectio - concedo - quatenus pluralitas dicit ratam collectionem subdistinguo - . Omnia facient ratam unam - nego - ; ex ipsis possunt fieri collectiones ratae, quarum quaelibet finita sit et quae alia sit possibilis major quin possibilis maxima ut contingit ut sen: ie numerorum - concedo. —

Ad aliam propositionem „pluralitas quaelibet, vel est finita, vel indefinita, vel infinita, pluralitas, quae sit rata collectio - concedo — quae sit distinctio unius ab altera - nego - , ex distinctis fieri potest rata collectio sed non ideo quia distincta sunt jam ratam collectionem constituunt. Hinc tota ruit subtilis adversariorum argumentatio.

Ex impossibilitate multitudinis infinitae in ipsis possibilibus colligitur ens limitatum improductum esse impossibile.

Sane sit A ens limitatum & improductum existet vi essentiae suae, seu erit necessarium, id est existentia erit unum ex elementis suae essentiae. Si esset infinitum non foret possibile aliud simile, et cum finitum sit, possibile est aliud atque aliud sine ~~...~~ ullo limite, ita ut sit certe admittenda pluralitas possibilium essentiarum singularium. Jam vero si possibiles essentiae finitae, quae possunt esse et non esse et si sint, plura non possunt constituere multitudinem ratam infinitam, nec exigant possibiles essentiae limitatae, quae continent existentiam ut elementum essentiae non possunt quidem at reapse

constituerent. Possibiles essentiae finitae necessariae, vel reapse existerent a parte rei, vel non existerent a parte rei, et realem essentiam continerent solum idealiter, ut continent et infinitum possibile si non existeret a parte rei. Omitto utrum possibile sit membrum disjunctive et possibilia esse permitto. Certe si possibilis quaelibet ~~esse~~ essentia necessaria simul et limitata existeret reapse adesset a parte rei rata multitudo, quae nec finita fo[r]et nec infinita. Si a possibilibus contingentibus ponatur A, advenire in existentiam, advenire A', advenire A'', constituatur ipso adventu in existentia ternarium. Si advenissent singulae possibiles A distributive adventu singulorum ita ut ~~ta~~ nullus deesset, constitueret multitudo actu infinita.

Ergo positis in existentia reali singulis A, quorum quodlibet necessarium simul est et finitum haberetur multitudo actu infinita essentiarum finitarum. Dices, ponendae sunt aliquae ex istis essentiis existere aliquae id est aliae omnes possibiles non existere. Esto. At omnes, quae existunt, sive quae non existunt, continent elementum essentiale realem existentiam ut elementum ideale. Jam vero si esset A finitum, B finitum et contingentia reapse non existerent sed solum mente conciperentur posita in existentia, ipsa positione mentali et idealis existentia realis deberet poni ternarium. Si positione solum mentali ponatur pro qualibet possibili existentia, ita ut nullum distributive sit et remaneat in potentia etiam mentaliter, eo ipso mentaliter etiam poneretur multitudo

existens infinita. Ergo cum in possibilibus necessariis limitatis existentia poni debeat ut elementum essentiale debeat eo ipso possibilis esse multitudo actu infinita. De essentia actualis limitatae est actualitas secundum unam partem, potentialitas secundum aliam, ut in ratione ~~circ~~ circuli, quae est hujusmodi, ut quodlibet sit possibile majus, de ratione entitatis necessariae debet poni saltem mentaliter nihil nisi actualitas tota ipsius rationis. – Debet ergo multitudo infinita impossibilis esse possibilis idealiter saltem posita necessitate seu improductione.

Thesis XI. Ex pluribus possibilibus essentiis limitatis colligitur existentia Dei sub conceptu realis fundamenti.

Tota demonstratio huc reducitur. Plura sunt possibilia, quae reapse non existunt. Atqui sublato Deo ut reali fun-

damento non essent possibilia. Nota: non dico possibilia forent impossibilia quasi intrinsece repugnaret v.g. mons aureus, - dico non forent possibilia quia deesset et ipsa nota auri et nota montis in ordine intelligibilitatis.

Ergo existit Deus.

1º) Quid sunt possibilia? Concipio montem ex auro puro, concipio non existere, concipio quod etsi non existat tamen potest existere si solum spectetur notarum sociabilitas, quatenus figura montis magni et materia quae aurum dicitur sociabiles sunt, et concipio ad existentiam requiri non solum notarum sociabilitatem, sed etiam existentiam causae, quae possit materiam auri in formam ponere montis. Si talis causa non existit, sed et ipsa intrinsece possibilis est, quatenus nec ipsa intrinsece repugnat, habe-

biter possibilitas intrinseca, possibilitas inadaequata, sed non adaequata et extrinseca. In praesenti cum dicimus plura esse possibilia, assumimus solam intrinsecam possibilitatem, secus peteremus principium. Extrinseca seu existentia causa est colligenda.

2o) At quid est hoc, quod intrinsece possibile dicimus. Quod intrinsece possibile est, etsi non sit existens est tamen quid positivum est etenim objectum mentis per se et non per aliud ut contingit in negativis, unum possibile ab alio possibili per se distinguuntur et non per aliud. Ignorantia non per se sed per scientiae negationem percipitur, ignorantia tenebris distinguitur non ratione sui sed ratione scientiae et lucis quae negentur. Non ita res se

habet in possibilibus puris.
Positivum illud quod intrinsecum est possibili cuilibet, est ante mentis conceptionem. - Conceptus entis possibilis distingui debet: aliud est ipse actus mentis concipientis, aliud vero ipsa ratio quae per mentis actum percipitur. Conceptus subjectivus dependet a mente, posterior est mente; sed ratio positiva, quae concipitur prior est mente, atque mens illam non efficit sed supponit. Demum ipsae res contingentes non sunt id a quo dependet, positivum illud quod independens est a mente. Ab existentibus dependet conceptus subjectivus, sine existentibus mens non potuisset videre rei possibilitatem, at liquet ipsum positivum, quod objectum est mentis, ac mens praesupponit non pendere ab existentia rerum, secus res in se esset possibilis, quia existit res contingens non ad rerum

contingentium existentiam praerequireretur possibilitas.

His positis ita licet argumentari. Posito puro nihilo ita, ut nullum prorsus ens existeret, non daretur possibilitas, quae aliquid est positivum et per se intelligibile.

Atqui si posito puro nihilo nondaretur possibilitas pura haec indubitanter connectitur cum existentia reali aliqua a qua aliquo modo dependet. Non connectitur cum existentia contingentium, haec enim succedit possibilitati et possibilitas manet re contingente non existente. Non dependet a mente qualibet simili haec enim ipsam rationem positivam possibilem non facit sed reperit et percipit. Ergo possibilia connectuntur necessario cum existentia entis necessarii. Ipsa autem possibilitas pendere ne-

quit a tali existentia nisi quatenus possibilia aliquo modo sunt in ipso necessario. Esse autem possunt vel formaliter vel eminenter. Possunt esse quidem formaliter prout sunt subjectivi conceptus seu ideae, sed non possunt esse formaliter quatenus ipsa ratio formalis leonis in necessario reperiatur. Ergo in necessario possibilitas reperitur prout est ipsa ratio percepta eminenter seu reperitur entitas quae sit fundamentum ad efformandum determinatum possibilem puta equum, leonem. Hoc idem valet ac dicere in necessario reperiri exemplare radicale, seu rationem imitabilem qua percepta imitationes possibiles ~~per~~concipiuntur. At una re possibili eminenter posita in ente necessario, liquet quale illud esse debet. Sit intelligentia humana, haec

ratio debet prout est intelligibilis, supponere in Deo perfectionem, quae respondeat ut eminens fundamentum. Qualibet mente humana possibili data, possibilis est major in indefinitum. Ergo in necessario debet reperiri actu et eminenter, quidquid in mente finita reperitur potentialiter. Ergo in necessario reperiri debet actualis tanta perfectio quanta est possibilis, seu ratio possibilis qualibet in suo fundamento praesupponit rationem infinitam.

Concessa possibilitate intrinseca objectiva, quisque videt necessariam, et a mente humana rerumque contingentium existentia independentem. Vidimus admittendam esse existentiam entis necessarii, quod sit extra contingentia haec. Tale argumentum est metaphysicum,

etsi a posteriori sit; propositio enim „Possibilia dantur, quae nec a mente contingente nec ab existentia contingentium dependent" est necessaria. Necessaria item est alia „Possibile supponit existentiam necessarii quo sublato nulla esset possibilitas". Argumentum posset institui ex possibilitate ad causam efficientem. Sit enim possibilitas intrinsece necessaria, nec tamen existat intus potens producere. – Aderit necessario possibilitas intrinseca sine extrinseca. Intrinsecae possibilitatis finis ordinatio est ipsa actualis existentia, quae advenire possit. Erit ergo haec absurditas necessarium esse praerequisitum ad medium et impossibilem esse finem, atque in rationibus objectivis aderit necessarium inutile.

Thesis XII. Ex conceptu entis infiniti possibilis a posteriori colligitur Dei existentia in ordine objectivo.

Possibile est intrinsece ens limitatum. Si non existeret causa potens producere non esset adaequate possibile, ut, si non existeret magister, non esset adaequate possibilis discipulus. At ut si non esset intrinsece possibilis magister et discipulus esset intrinsece possibilis, ita si non esset intrinsece possibile ens infinitum, nec esset intrinsece possibile ens limitatum. Sane in ipsa ideali ratione objectiva limitati et non per essentiam est intrinsece ratio entis idealis limitati per extrinsecam rationem, quae, si reapse non existet ideale, ens limitatum non poterit venire ad existentiam, sed si nec possibilis sit, nec poterit haberi ipsa

possibilis intrinseca ratio limitati entis. Ergo intrinsece possibile sit ens limitatum, cum intrinseca possibilitas limitati entis involval intrinsecam possibilitatem entis producti, cum intrinseca possibilitas enti producti involvat possibilitatem intrinsecam producentis et quidem improducti, secus non haberetur possibilitas intrinseca ipsius producti dicendum est intrinsece possibile esse ens improductum quod idem est ac possibile ens infinitum cum limitatum in sua ideali ratione productionem includat. Possibilitas infiniti non pendet a possibilitate finiti tamquam a ratione priori. Connexa quidem sunt sedita, ut etsi prae conceptu subjectivo sit prior ratio finiti, quatenus ex conceptu subjectivo finiti mens pervenit ad conceptum subje:

ctivum infiniti; in rationibus possibilibus objectivis, possibile infinitum est prius possibili finito. Ergo ipsa possibilis ratio entis infiniti quatenus est objectiva et inventa non facta a mente postulabit reale fundamentum in quo reperiatur eminenter. Ergo erit in quo reperitur formaliter, seu existit ens reale infinitum quod sit reale fundamentum ipsius possibilis idealis infiniti.

Thesis XIII. Pantheismus est absurdus.

Pantheismus idealis situs in ipsa ideae evolutione nullo praesupposito subjecto cogitante absurdum esse liquet quia 1°) ponitur absolutum indeterminatum successive determinari atque determinatione ipsa produci. At si necessario evolvitur ista idea in praecedente statu debet esse determinata ratio evolutionis determinatae subsequentis. Non ergo est

nunquam absolutum indetermina-
tum determinatione sive evolvens
ac in evolutione res constituens.
Est ergo evolutio sine sufficienti
ratione.
2°) Talis evolutio idealis est perfecta
ipsa illusio quae affirmat ac po-
nit distincta a se, quae distincta
non sunt.
3°) Talis evolutio, quae successiva est
temporaria est non aeterna. Idea-
lis pantheismus, qui subjectum
praesupponeret id est spiritum
pariter poneret tamquam ens divi-
num, ens quod in perpetua illu-
sione et errore foret, quod ob ne-
cessariam successionem idearum
temporaneum esset.
Pantheismus realis immanens sive
solam ponat materiam sive evol-
ventem et cogitantem, sive ponat
spiritum et materiam unam,

efformantem naturam et quoque absurdo, quoque absurditas evincitur ipsis: que argumentis quibus demonstratum est extra rerum universitatem esse debere ens aliquod improductum quod causa sit ordinis ac substantiae cujuslibet, quae est in hac rerum universitate: Scilicet gentium consensus, prima mundanarum dispositio, duratio temporaria harum substantiarum, ac ipsarum limitatio evincunt Numinis existentiam a rerum universitate distincti.

Postrema argumenta id est rerum dispositio, substantia mundialis temporaria duratio, ac limitatio evincunt absurdum quoque esse Pantheismum realem transeuntis emanationis.

Objiciunt 1º. Mundus substantia est. Substantia non indiget alio. Ergo est ens necessarium.

Resp. Dist. substantia est limitata et

temporaria - concedo - infinita et aeterna nego. Non indiget alio ad existendum substantia infinita et aeterna concedo - finita et temporaria - subdistinguo - ut subjecto inhaesionis - concedo - ut causa - nego.

2°. Substantia in sui essentia causam respuit. Quae causa dicitur vel continet, quae efficitur vel non, si non continet aliam quam facit efficere ipsam nequit, si continet non facit. Resp. nego minorem subsumptam. Ad probationem resp. - vel continet formaliter vel non continet ullo modo - nego - vel continet aut formaliter aut eminenter vel non continet ullo modo concedo -. Si non continet nec formaliter nec eminenter non facit - concedo - si non continet formaliter sed continet eminenter non facit - nego.

3. Si non continet formaliter non efficit, tum quia tunc causa faceret

ex nihilo quod repugnat, tum quia praesupposita productione, quae producta est vel eadem attributa habet vel diversa. Si eadem haberet attributa causa produxisset semel ipsam, si diversa illam producere non potuit.

Resp. Nego minorem subsumptam.

Ad primam probationem respondeo. Dist. Faceret ex nihilo tanquam ex materia ex qua — nego — quatenus totam faceret substantiam — concedo —. Repugnat facere ex nihilo tanquam ex materia, repugnat facere totam seu prae causa, quae materiam in agendo praesupponere debet — concedo — repugnat prae causa, quae virtutem habeat requisitam ad productionem totius — nego. —

Ad secundam probationem respondeo, quae producta est, vel eadem numero

habet attributa, vel penitus diversa, ut nec analogice conveniat cum attributis causae, nego disjunctivam, vel eadem numero, vel diversa, idque aut numero, specie, genere, analogia aut diversa quidem numero sed eadem, vel specie, vel genere, vel saltem analogia – concedo. Contradistinguo minorem. Si eadem numero sunt attributa producentis substantiae et productae, vel si penitus diversa sunt, nequit esse possibilis productio – concedo. – Si diversa sint numero sed eadem saltem analogice nego. –

IV Atqui substantia, quae producens dicitur nequit aliam continere modo ullo, quo fiet ut alia producta sit. Quae dicitur producens foret infinita, quae productione fieret, finita. At haec absurda sunt.

Resp. Nego minorem subsumptam. Ad probationem nego majorem.

V. Infinita quidem foret ante productionem cum necessarium sit infinitum. Fieret ergo productione peracta finitum, quae post productionem plus realitatis existeret, postea in complexu producentis et producti quam in solo producente.

Resp. Concedo primam partem, nego secundam. Ad probationem post productionem plus existeret realitatis univocae unibilis in unum — nego — plus realitatis id est plura realia quorum unum id est producens, esset analogum princeps caeterae analoge secunda, quorum perfectiones continentur formaliter extra producens sed eminenter ac virtualiter in producente — concedo. Si post productionem existeret plus realitatis univocae producens infinitum non foret; immo nec infinitum foret etiam, si per impossibile producens non contineret eminenter

perfectiones universi producti. At si producens produxit rem a se distinctam formaliter sed ipsam eminentiori modo continet fieret finitum, non si ipsa res producta non contineretur formaliter sed immo fieret finitum si ipsam formaliter contineret immo non fieret finitum sed evaderet purum nihil id est contradictionis realis. Infinitas postulat, ut sit infinitum absolutum, continens infinitas perfectiones, et sit tale, ut alia a se in indefinitum producere possit, quae ipsum referant atque ejus attributa manifestent.

De essentia Dei.

Postquam agimus de quaestione, an sit, agendum de quaestione, quid sit Deus.

De essentia Dei agentes inquiremus 1º) utrum sit Deus infinitus; 2º) utrum in infinitate ejus essentia sit - 3º) de immutabilitate intrinseca absoluta quae est attributum non determinatum sed potius attributum dici potest cujuslibet divini attributi. Ex exclusa ab existentia Dei qualicumque mutabilitate gradum faciemus ad aeternitatem, quae est pariter attributum potius esse et cujuslibet divini attributi.

Thesis I. Deus est ens actu infinitum.

Praenotiones. Assumpta aliqua specie perfectionis, puta sentire vel ratiocinari percipimus quod

aliquo dicto gradu determinato per-
fectionis sit possibilis, major qui sit
ultra datum in ipsa specie. Habere
gradum determinatum ultra, quem
sit possibilis alius determinationis
ideam praebet. At ita rationem mens
limitatam ut semper sit gradus alius
possibilis major praebet ideam ali-
cujus limitationis et infinitatis
sed non actualis sed potentialis, qua-
tenus ratio concipitur finita semper
sed sine fine finita, i.e. est finita,
ut sine fine possit esse finita major
ac major. Ex tali infinitate ad actu-
alis infinitatis ideam mens potest
assurgere quatenus concipit seu
melius componit elementa haec
perfectio et gradus seu quantitas qua
nihil majus. At in speciebus perfecti-
ssimum quas videmus ideamque
habemus propriam, reperimus duo
haec esse opposita. Hinc concipimus

perfectionis ideam qua nihil majus, quaeque sit in altiori ordine, ac sunt istae quas proprie cognoscimus.
Ex perfectione, quae sit in ordine tali, ut major concipi nequeat quoad gradum, mens considerans diversas species efficit conceptum entis habentis plures ac plures species. Componit conceptum entis habentis omnes species ac pariter hic videt eas quas perspicit proprie non posse simul in uno conjungi. Hinc concipit ens quod simul conjungat omnes non prout sunt eo modo quo videt, sed in ordine altiori quem non videt.
Hinc elementa haec, perfectio, gradus, species diversae, altior ordo concurrunt ad affirmandam infiniti ideam, quae analoga est, propter ultimum elementum

appositum
Demonstratio: Deus aliquas perfectiones certo habet. At nequit habere gradu finito. Ergo est infinitus saltem quoad eas quas habet
Minor patet ex dictis. Finitum in gradu nequit esse necessarium. At Deus est necessarius. Ergo. Nequit esse finitus.
Esse divinum nequit esse imperfectior esse finitum atqui finitum tale est ut semper major esse possit in eadem specie et nullum habet limitem quo perfectior esse nequeat. Habet ergo aliquam infinitatem potentialem. Deus nequit habere potentialem. Ergo ne sit imperfectior actualem habere debet. At non solum hoc sensu infinitus est Deus, ut quas habet perfectiones habeat in infinito gradu, sed ita, ut habeat omnes.
Sane 1º. Ipsum vidimus esse creatorem, quod certe idem est ac continere formaliter perfectiones omnes simplices ut

intelligere velle ac posse, est continere eminenter perfectiones unitas ut sentire perfectiones omnes, quae sunt in materia.

2º Deus est fundamentum reale possibilium. Hoc debet esse infinitum in qualibet specie perfectionis.

3º Cum Deus sit intelligens intelligere poterit quamcumque possibilem perfectionem. Nequit vero intelligere, ut extra se et a se independentem secus ab objecto perficeretur, quod fieri nequit tum quia est ens necessarium, tum quia saltem quod intellectum est infinitus.

4º Deus voluntatem habet, quae satiari nequit nisi infinito bono. Bonum vero quo satietur nequit esse ab ipso independens. Ergo in ipso debet esse infinitas.

Thesis II. Essentia Dei metaphysica est infinitas radicalis

Cum sermo est de essentia Dei metaphysica loquimur analogice ad essentias rerum finitarum. At 1° cum de rebus finitis loquimur non appellamus metaphysicam essentiam notam qualemcunque a qua caeteras derivamus etiam a posteriori. Quis facultatem loquendi essentiam metaphysicam hominis dicet, ex eo quod ex illa caeteras logice derivare possumus?

2°. Quae est essentia metaphysica debet esse hujusmodi, ut ex ipsa caeterae deriventur a priori, et ita, ut caeterae notae deriventur et deriventur ita, ut caeterae sint determinationes. Determinationes necessariae sunt: facultas loquendi et facultas ridendi; determinationes accidentales sunt: cogitationes, sensationes, motus et caeterae hujusmodi.

His positis liquet.

1. Metaphysicam Dei essentiam non esse necessitatem, quia etsi ab hac caetera attributa colligantur, non colligantur a priori. Non enim ideo Deus est infinitus quia necessarius, sed necessarius quia infinitus. Necessitas est modus existendi, sed modus pendet a re non res a modo.

2. Metaphysicam Dei essentiam non esse intellectionem infinitam. Primo quidem, quia ipsa intellectio infinita vel sumitur ut intellectio vel ut infinita. Certo non ut intellectio, potest esse radix caeterarum puta immensitatis et immutabilitatis. Non ut infinita, nam ut infinita sit, necesse est ponere in ipso totum intelligibile quod dicimus

intel-

lectum determinet. At totum intelligibile est tota infinitas radicalis a qua et intellectio et volitio et potentia et omnia derivantur a priori. Praeterea attributa caetera non sunt veluti determinationes intellectionis. Num potentia et immensitas tales sunt?

3°. Metaphysice Dei essentia est ipsa infinitas radicalis. Quod ut rite intelligatur notandum est infinitatem summi posse distincte ut dicit cumulum perfectionum logice distinctarum vel ut purissimam rationem entitatis qua nihil majus. Metaphysice essentia non primo modo, haberetur enim id omne quod derivatum est a priori – secundo modo sumenda est. – At sumpta secundo modo habetur 1°.) id a quo derivantur a priori caetera; 2°.) id quod est inclusum commune in caeteris omnibus, quae scilicet caetera

sint veluti primae determinationes Deo ex attributo uno deriventur caetera, quia quodlibet infinitum, cum sit rationem infinitae entitatis includit, quae infinitas est veluti centrum cujus caetera sint quodammodo modi necessarii.

Thesis III. Deus infinitus cum sit, est absolute intrinsecus immutabilis. Mutabilitas duplex concipi potest: extrinsece et intrinsece. Sed perfectio emittendo radios non mutetur intrinsece ex eo, quod corpus aliquod illuminet vel non illuminet, id enim totum pendet non ex mutatione soli sed ex corporis praesentia, quae adsit vel absit, manente solem semper quantum de se est secundum hoc immutabilis. Mutatur sol intrinsecus ex eo quod in girum volvatur, et ex eo quod in ipso sint evolutiones macularum etc. —

Deum immutabilem dicimus intrinsecus, quatenus nulla in ipsi sit potentialitas intrinseca sed totus semper sit in actu

Mutabilitas intrinseca posset esse in Deo impropria, quatenus totus posset incipere et totus desinere, propria, quatenus existendo aliquam perfectionem posset amittere, aliquam acquirere intrinsecam. At infinitas excludit: a) possibilitatem incipiendi; b) possibilitatem desinendi; c) possibilitatem acquirendi novam perfectionem et amittendi qualemcunque quam habet Deus. Si praeterea mutabilis esset, successivas haberet mutationes ideoque productus esse deberet.

Thesis IV. Deus est aeternus.

Duratio, quae sine initio est, sine successione ac sine fine est aeternitas, quae definiri potest in vivente inter-

mirabilis vitae tota simul ac perfecta possessio. Quod immutabile est ita, ut excludat mutationem improprie dictam in exceptione et cessatione existendi et proprie dictam ex uno statu in alterum, intrinsece durationem sine initio sine successione et sine fine, seu aeternum est.

Ergo Deus, qui infinitus est ac propterea immutabilis, dici debet aeternus.

De divina unitate.

Unitas in indivisione est posita. Indivisioni opponitur divisio, quae duplex est; una, quae partes supponit in ipso ente quod dividitur, altera est, quae partes habet subjectivas in quas ratio divisa concipitur. Quare perfectissima unitas opponitur maxime divisioni, atque erit in simplicitate maxima ac maxima unicitate. Ad unitatem ergo revocantur quaestiones de Dei maxima simplicitate atque unicitate.

Thesis I. Deus non ita unus est, ut solis constet partibus corporeis.

Siquidem intelligens ac volens est. —

Thesis II. Neque compositionem habet physicam ex materia et forma substantiali, quae sit intelligens.

Utraque enim pars in ratione entis foret limitata et per alteram perficeretur, quod infinito repugnat.

Thesis III. Neque physica compositio po-
ni potest in Deo ex substantia et fa-
cultatibus inter se et a substantia rea-
liter distinctis.

Substantia enim limitata foret in ratio-
ne entis et per facultates perficeretur,
facultates vero indigerent entitate reali-
ter distincta ad existendum.

Thesis IV. Idem omnino dici debet de phy-
sica compositione facultatum et actuum.
Ob rationem eandem cui accedat et
illa, quod etiam in ente finito, substan-
tia, facultas, actus, re sunt idem
etsi in finito perfectio actus abesse
possit.

Thesis V. Deus est purissimus
actus.

Cum perfectio actus ab infinito abesse
nullatenus possit, infinitum enim
nequit esse in potentia, cumque actus
idem sit ac ipsa substantia divina.
Deus dicendus erit actus unus idemque
purissimus.

Thesis VI. A Deo amovenda est compositio physica ex essentia et existentia.
Cum in ipso abstracto conceptu essentiae finita contineatur existentia, ideoque nequeat haec concipi ut quid perficiens essentiam.

Thesis VII. Idem dicendum est de metaphysica compositione ex genere et differentia.
Ratio enim generica infinita esse deberet, ergo genus non posset esse commune Deo et rebus finitis. Nec posset esse commune Deo et aliis entibus infinitis, si enim haec forent, non possent differe specie sed solo numero, quod falsum esse quoque videbimus.

Thesis VIII. Demum amovenda est compositio metaphysica ex natura et persona.
Cum divina natura non possit concipi admodum partis et essentialiter

sit quid totum per se subsistens. Divina personalitas cum sit perfectissima totalis deficere nullatenus potest.

Thesis IX. Perfectissima Dei simplicitas tum physica tum metaphysica non modo non excludit prae finita mente, Deum concipiente logicam aliquam distinctionem, quin immo ipsam postulat.

Sane talis distinctio non officit divinae perfectioni, quin ipsam magis manifestat, cum tanta sit in Deo perfectio purissima ut pluribus aequipolleat. Distinctionis fundamentum est aequipollentia ex parte rei, et limitatio ex parte mentis finitae, quae infinitum pluribus incompletis conceptibus hauriit potissimum in statu viae.

Thesis X. Deus est absolute unicus.

Etenim si consideres ens infinitum

prae finitis, dicendum est: infinitum plenum habere debere dominium cujuslibet entis finiti. Hoc fieri non potest. Infinitum quoque dicendum est si duo forent utriusque mens atque voluntas perficeretur ab alio; hoc infinito conceptui repugnat. Tandem si infinitum posset multiplicari, infinita entia deberent esse infinita numero in ordine existentiae saltem idealis quod vidimus repugnare. Infinitum si habere posset aliud simile jam infinitum non foret, cum plus perfectionis univoce foret in duobus quam solum in uno.

De Divina Veritate.

Moralis veritas ad veracitatem seu sanctitatem ac bonitatem pertinet, de qua agendum est in quaestione sequenti. Superest ergo ejus veritas ontologica et logica.

Ontologica Dei veritas maxima est et nihil aliud est nisi ipsius infinitas. Superest ergo una quaestio de veritate logica Dei, seu de Divina cognitione. De qua agentes inquirendum est: 1) determinanda divinam cognitionem, seu formale principium cognitionis divinae;

2°) quodnam sit divinae cognitionis objectum.

Thesis I. Formale principium divinae cognitionis adaequatum est ipsa Dei essentia; quare sub hoc respectu Deus quidquid cognoscit, cognoscit solum in se ipso, et si non solum se, sed caetera omnia a se distincta cognoscit secundum esse

quod habent in seipso.
Principium formale cognitionis cum de finita mente agitur est principium determinans finitam mentem illamque quodammodo informans ut finita mens pro determinatione recepta ideam gignat, qua fit cognoscens objecta. In tali formali principio evidenter includitur potentialitas mentis, qua omnia amovenda est a Deo. Cum ergo sermo est de formali principio cognitionis divinae, amotis imperfectionibus nihil aliud erit principium formale, quam sufficiens ratio qua Deus sit cognoscens. Jam vero liquet tale principium formale prae omni divina cognitione nihil posse esse aliud quam ipsa divina essentia. Haec certe erit principium formale cognitionis, quam Deus habet sui, ut per se patet; non potest

enim a re extrinseca sibi determinari ad sui cognitionem. Pariter ipsa divina essentia erit determinans divinam mentem ad cognoscendum quaecumque cognoscit. Cum caetera non possint Deum determinare, et cum quidquid est perfectionis in caeteris omnibus contineatur eminenter in essentia divina a qua habent quidquid perfectionis in ipsis est. Quare adaequatum principium formale cognitionis est sola Dei essentia.

Dici solet principium formale cognitionis id in quo res cognoscitur, quare juxta hunc sensum Deus cognoscit tantum se in se ipso; caetera vero omnia sub hoc sensu in seipso non cognoscit. Sed voces istae: „in se ipso" possunt dupliciter usurpari – 1°) ut significant formale principium; 2°) ut significant

rem cognosci secundum esse quod habent in se ipsis, seu quod idem est, proprie et non analogice, immediate et non derivate. Jam vero ut infinitae cognitioni repugnat quod res cognoscantur in se ipsis primo modo, ita eidem repugnat quod non cognoscantur altero modo: sunt enim secundum esse quod habent, intelligibiles, ideoque cognoscuntur secundum esse quod habent, a mente infinita.

Thesis II. Divina cognitio est actus substantivus, necessarius et unicus, prae quo externae res cognitae, quae multitudinem constituunt sunt purae conditiones, ut cognoscantur si sint, non cognoscantur si nunquam et nullatenus sint.

Cognitionem divinam esse actum substantivum ex eo, quod nullus in Deo accidens poni possit, nihilque

potentialitatis est ergo divina scientia ipsa Dei substantia. Ex hoc altera duo effluunt immediate, scilicet divinae cognitionis actum esse necessarium atque unicum cum divina substantia necessaria sit ac maxime simplex.

His positis facile dignoscitur cognitionem nostram exhibere posse notionem cognitionis divinae tantummodo analogam cum nostra cognitio sit in actibus accidentalibus, qui ab ipsis externis objectis maxime determinantur. Cum divina cognitio ipsa sit substantia divina, evidens est externa objecta posse referri ad divinam cognitionem solum admodum conditionis ita ut in hypothesi, quod sint, esse cognoscantur, in hypothesi quod non sint, non cognoscantur. — At sive sint sive non sint, quidquid perfectio-

nis est in actuali cognitione semper in Deo sit idem. Difficile quidem id concipimus, at hoc ex eo oritur, quod e nostra cognitione ad nostra cognitionem divinam ascendamus. In nobis ex parte mentis est potentialitas, quae, cum mens ad actum transit, perfectior evadit. Ex parte cogniti termini est vis determinans mediate vel immediate mentem ad actum ideoque ex parte termini est ratio perficiens facultatem. Duo haec in analoga divina cognitione auferenda prorsus sunt; his duobus sublatis evidentissima colligitur divinam scientiam ratione perfectionis quoad externa objecta aeque se habere, sive si, cum adsunt, cognoscit, sive cum absunt, non cognoscit.
At quamvis sublata sit difficultas omnis, quoad contingentiam, quae videretur induci in divinam

scientiam, maxima tamen adest difficultas cum sublatis elementis, quae nos habemus de nostra cognitione, confusa quaedam superest notio cognitionis.

Thesis III. Deus se cognoscit perfectissime.

Deus est intelligens, ergo se cognoscit, est infinite intelligens, ergo se adaequate comprehendit.

Thesis IV. Distincte cognoscit Deus singula possibilia.

Possibilia nihil aliud sunt, quam determinatae imitationes divinae naturae. Ergo, cum Deus se perfectissime cognoscat, cognoscere quoque debet perfectissime modum omnem secundum quem est imitabilis.

Sunt qui censeant Deum videre possibilia omnia secundum rationem specificam, determinatio

res autem fieri a divino intellectu tot, quot vult voluntas; ideoque asserunt Deum non cognoscere possibiles omnes determinationes distincte. Ad id moventur ex horrore multitudinis infinitae. Atqui si sententiae haec valeret, negandum quoque foret Deum cognoscere futuras omnes actiones liberas, ob eundem horrorem multitudinis infinitae, quae est ponenda non pro futuris, ita nec possibilibus.

Thesis 8. Cognoscit Deus quaecunque necessitate physica sint futura. Cum mens humana de Deo loquitur, formalis utitur non propriis, ut exprimamus Deum semper cognoscere, quae contingunt in tempore, dicimus cognoscere quoque quae nondum sunt, seu cognoscere quae futura sunt. At futurum est relativum proprie ad praesens entis

quod eadem mensura durationis continetur, ideoque futurum refertur ad praesens entis habentis futurum. Quae crastina die contingent futura sunt nobis. Ens quod actu habet omnem vitam, quae in nobis successive refertur, quantum de se est, actu praesens est omnibus quae inter se praeteriti. Ita, praesentia ei futura dici poterunt, prae illo tamen, quod simul omnem habet vitam semper praesentia sunt; non quatenus semper existant, sed quatenus semper videns videat semper, non pro semper termini, sed pro semper videntis.
Quae physica necessaria sunt contingunt ex divino decreto. Ergo Deus illa videt semper in suo decreto, sed causa principe. Contingunt praeterea, quia causae praece-

sunt physicae necessario agentes. Ergo secundo illa videt Deus in causis secundis. In determinatis temporibus habent proprium esse determinatum. Ergo verum est semper quod pro illis determinatis temporibus res ita se habeat. Mens, quae pronuntiaret etiam temere de illa contingeret terrae motu si re ipsa terrae motus contingeret illa die, propositio etiamsi temeraria, vera esset. At temeraria tantum est, quia sine motivo pronuntiata est, quia scilicet re non existente, non potuit adesse determinans mentem ad pronuntiationem veritatis. Ergo mens divina, quae determinans nullum finitum habere potest, at nunquam res futuras necessarias physice cognoscet, secundum esse quod habent in se ipsis, aut cognoscet semper

negunt primum dici, ergo.
Ergo futura necessaria physica Deus semper cognoscit secundum esse quod habent in suo decreto, in secundis causis ac in se ipsis.
Thesis VI. Cognoscit Deus futuras omnes liberas creaturarum actiones.
Quae diximus de futuris physice necessariis ex parte repetenda sunt quoad physice libera.
Ex parte dicimus siquidem futura physice libera
1°) conveniunt quoad principium formale cognitionis;
2°) discrepant quoad cognitionem futurorum liberorum in divino decreto. — In divino decreto independenter a qualibet libera voluntate creaturae potest videre Deus, quae physice necessaria futura sunt. E contra, quae libere futura sunt, non potest videre

Deus in solo suo decreto, solo qua-
tenus non dependeat aliquo modo
a libera actione creaturae, secus
actio, quae dicitur libera in creatura
libera non foret. Posito enim decre-
to divino independenti ab actione
libera creaturae illamque totali-
ter praecedente actio creaturae
necessaria foret ex necessitate
antecedenti. – At potest dici, Deum
aliquo modo videre futuras actio-
nes liberas hominum * in suo
decreto dependenti a scientia, quae
pro objecto habeat, quid certe li-
bera creatura factura esset, si in
quibusdam poneretur circumstan-
tiis. Divina sanctitas omnino
prohibet dicere Deum decernere
posse, quod sint actiones per-
peo; has permittit Deus, non
decernit; decernit permissionem,
decernit positionem in circumstan-

tiis in quibus videt, quod mala actio futura esset. Sed cum de bonis operationibus sermo est et sanctitas et Dei providentia manifeste dicunt Deum non solum posse praecipere actiones bonas, ita ut homines teneantur, sed posse etiam decernere, quod aliquae absolutae sint de facto. Tale decretum nullatenus libertati hominis adversatur; decernit enim Deus duo; scitum dependenter a scientia, quae dicitur futuribilium seu actionum, quae ponerentur liberae a creatura si creatura esset in quibusdam circumstantiis et decernit ponere creaturam in talibus circumstantiis. Per se patet et patebit melius ex dicendis hisce positis creaturae libertatem non laedi. –

3.) Quae physice futura sunt videt

Deus in causis secundis in quibus determinata reperiuntur. At quae physice libera sunt spectatis causis et circumstantiis omnibus possibilibus non potest videre nisi ut sunt in causis. At in causis et circumstantiis poterit esse vel plena indifferentia vel major, ac major inclinatio ad unam partem potius quam ad aliam.—
Ergo. Deus futuras liberas actiones certissime videt in causis, non secundum quod reapse erunt, sed secundum inclinationem causae ut sint, quare videre poterit causam maxime inclinatam ad faciendam et tamen non facturam.
Demum 4º.) tum quae futura sunt necessario physica, tum quae futura sunt libere, aeque conveniunt quoad hoc quod videantur secundum esse quod habent in se ipsis.

Quae physica necessitate contingunt, sunt, et positis causis nequeunt non esse. Quae libere contingunt, sunt, et positis causis potuissent non esse, sunt ex libera voluntatis determinatione. Mens, quae enuntiaret rem pro tali instanti futuram, si in tali instanti quo dicitur futura reapse contingit, intellectus foret verus, siquidem propositio affirmata duabus valescit:

1°) tali tempore haec res contingit

2°) tale tempus horae actuali est futurum.

Propositio secunda pendet a subjecto proferente ita, ut si hoc infinitum sit, futurum non adest. Tota ergo veritas reducitur ad hoc, quod in tali tempore creaturae, res contingat et, ut contingens pro tali tempore repraesentatur in mente. Hic quoque liquet propositionem esse veram, si enuntiet rem, ut

est a parte rei pro tempore designato a propositione. – Dubium oriri potuerit ex eo p quod pro nobis, se nondum existente, non adest determinans, quod adest pro Deo. Cum divina cognitio pro liberis futuris actibus ita se habeat, ut a) quidquid est perfectionis in cognitione futurorum habeatur, sive cognoscantur futura, sive futura erunt, sive non cognoscantur, si non erunt, b) existentia futuri in suo tempore se habeat, ut conditio praerequisita ut Deus in sua aeternitate semper cognoscat rem illam in tali tempore contingere; liquet scientiam divinam nullatenus officere humanae libertati: non enim res est quia Deus cognoscit, sed vice versa. Quod scientia praecedat, et res sequatur, libertati non officit; prae:

cedit enim ut repraesentans objectum praesuppositum. Etiam propositiones quae forte temere pronuntiatae conveniunt cum objecto, futuro tempore objectum praecedunt, nec tamen libertatem impediunt.

Thesis VII. Cognoscit Deus quidquid qualibet libera creatura sub certis adjunctis faceret in qualibet differentia temporis

Quae libera creatura non faciet nec fecit, sed faceret, dicuntur futura conditionata. Futura, etsi agatur de re praesenti et praeterita, concipiuntur pro aliqua differentia temporis, futura sunt et in ratione futuri major adest difficultas. Dicuntur conditionata, qua voce non significatur conditio qua posita debeat esse actio, sed conditio historica seu melius circumstantia. Ideoque futura conditionata sunt

ea, quae in quibusdam circumstantiis si homo reperietur faceret.
Dicuntur futurabilia, quae scilicet futura essent et non futura sunt.
Quoad cognitionem horum distinguenda sunt duo haec, cognitio quam Deus horum habet, et modus quo habet. Evidentissima est prima res; uti minus dicam difficiles alia.
Et sane rem esse evidentissimam praecisione facta a modo liquet ex eo, quod hujusmodi cognitionem Deo tribuant gentes omnes. Quid quaeso tibi volunt innuere apud gentiles interrogationes oraculorum, ut ex responsione data possent proprias dirigere actiones.
a) Certe interrogabatur numen de re futura et saepe libera non quidem de re absolute futura, quia in tali hypothesi, numinis responsio ad finem propter quam re-

quirebat ut illis non fuisset ergo agebatur de re futurabili.

b) Eadem doctrina vivit apud Haebreos. Exemplum habes in I Reg. c. 23 v. 10 et 11. in quibus interrogatus Dominus de duobus futuribilibus respondet categorice.

c) Apud catholicos persuasos esse omnes de tali divina scientia patebit facile non solum ex ecclesiaticis precibus, sed etiam si audiantur mulierculorum fabulationes se mutuo saepe consolantes de aliquo infortunio pute de infantis morte, habita prae oculis scientia divina futuribilium.—

Ratio qua gentes omnes movet ad dicendum cognoscere numen quaecunque faceret qualibet libera voluntas ea est, quod omnes apprime distinguunt duo haec; rem esse veram; et rem esse nobis cognoscibilem.

Vident omnes quod est omnino verum illud, quod fecisset talis creatura in tali circumstantia. At vident rem nobis esse imperviam. Cum mentem divinam ut quid perfectissimum percipiant et cognoscentem quidquid verum est, seposita quaestione de modo, quo nobis quae vera sunt innotescunt, logica illatione certissima colligunt Deum cognoscere futurabilia. Si intimius rem consideremus praecisione facta a praejudiciis, percipimus:

a) Petrum in tali circumstantia potuisse facere vel non facere.

b) percipimus quod de facto fecisset vel non fecisset et percipimus quod reapse cognoscamus verum esse quod unum fecisset etsi nesciamus quid fecisset.

c) percipimus quod propositio quae

dicimus, „Petrus fecisset hoc“, est vera determinate, vel determinate falsa, eo modo quo est determinate vera vel falsa propositio, quam dico „stellae sunt numero pares“ etiam ego nesciam utrum sit vera vel falsa.

Liquet Deum posse in sui providentia statuere aliquid ut futurum, quod tamen futurum sit libere ex parte creaturae, puta, Ecclesiae pontificem defecturum nunquam in veritate asserenda.

Atqui hoc fieri nullatenus potest nisi Deus praevideat, quid creatura qualibet in qualibet circumstantia certe factura esset.

Modus vero, quo mens hujusmodi futura cognoscat, difficultatem aliquam praebet, non quidem si spectetur pars negativa sed si spectetur pars positiva. Et sane 1°) non potest Deus

videre quid creatura factura esset, spectata tantum natura voluntatis finitae, siquidem in voluntate, quomodocunque perfectissime cognoscatur, reperietur ad summum major vel minor inclinatio ad unam partem potius quam ad aliam; sed nihil praeterea aliud, secus creatura libera non foret. Id ipsum dici potest de circumstantiis omnibus, atque ipso concursu antecedente oblato, secus enim his positis libera non esset voluntas. Pro futurabili nequit dici Deum ipsum videre in aliquo sui decreto, secus pariter auferetur libertas. Superest ergo, quod Deus futurabilia videat in se ipsis id est secundum esse quod in seipsis habent. At etsi hoc sit certissimum tamen distinctius rem concipere pro humana mente difficilius est. Quae stappe fu-

sura sunt vera sunt, quia in prae-
sentia temporis differentia adest onto-
logica voluntatis determinatio ad unum,
se enim voluntas suo tempore deter-
minat, atque ex tali determinatio-
ne ontologica oritur quod vera sit
propositio, quae enuntiat talem deter-
minationem. At cum agitur de
futuribili voluntas ontologice se
non determinabit. Quae ergo
erit ratio ontologica, quam pro-
positio exhibeat et propter quam
propositio vera sit. Respondeo nos
in tali re difficultatem experiri ex
eo quod confundamus modum co-
gnoscendi nostrum cum divino.
Pro nobis id ipsum quod determi-
nat rei veritatem est sive im-
mediate sive mediate, quod deter-
minat mentem, cum ergo in fu-
turibilibus in quibus nulla absoluta
est existentia nullum esse possit un-

quam naturaliter determinans nostram mentem non percipimus modum proprie quo possint intelligi. Hinc cum philosophamur obscuritatem reperimus. At habito prae oculis divino determinante res non videtur difficilis admodum. Deus ex sui essentia determinatus est ad videndum quidquid verum est determinate. At inquies, est-ne? Determinate verum, quid faceret creatura in certis circumstantiis? Affirmative.

Si de re praeterita sermo sit propositio illam enuntians potest esse duplex. Si dicam „ad pergendum in Americam navis aliqua necessaria fuit Americo Vespucio" nulla certe determinata est navis, quae fuit necessaria. Si vero dicam „aliqua navis transtulit" est certe ontologice determinata navis, quae transtulit. et mihi determinate non est cognita.

Item si loco rei, quae contigit, loquor de re, quae contigisset, id ipsum habebitur. „Si te heri de tali re interrogassem, unum e duobus necessarium erat, quod faceres indeterminate respondere scilicet vel non respondere. At unum determinate fecisses. Porro hic et nunc Petrum dicere quod non respondisses, me dicere quod respondisses, vel mea vel ejus propositio certe est vera. Si respondisses vera est mea, si non vera est Petri, etsi uterque e nobis nesciat certo veritatem. Ut ex objectiva reali determinatione absoluta fit, ut vera sit propositio, quae illam enuntiat ita ex objectiva determinatione, quae poneretur, sed non ponetur, fit ut sit vera propositio, quae dicit ille non se determinavit, sed se determinaret. —

De divina bonitate.

Quaestio omnis de divina bonitate ad hoc revocatur quod scilicet sit: a) summum bonum in se – b) summum sibi bonum c) bonum omnibus quotquot sunt ex dictis in ontologia et ex iis quae in ipsa theologia de Dei infinitate disserentes diximus. Superest tantum, ut distinctis propositionibus de modo disseramus, quo Deus et sibi et caeteris omnibus bonus est.

Thesis I. Deus necessario se amat Quia 1°) quaelibet voluntas se necessario amat, quia 2) voluntas amare aliquod bonum debet. Prae voluntate divina ut videbimus postea nullum potest esse bonum finale finitum, ergo debet se amare necessario; quia 3°) bonum infinitum infinite amabile est et imperfectio foret, posse ipsum non amare. De divino hoc amore idem dicendum est, quod dictum

est de scientia. Est scilicet non mo-
dificatio sed actus substantivus
atque uniens ipsa scilicet divina
purissima entitas.

Thesis II. Caetera quaecumque po-
terit quidem amare Deus et ama-
re debet propter se.

Sane amare debet Deus, qui in a-
mando est perfectissimus, res se-
cundum quod sunt amabiles. Jam
vero tota quanta est creatura nihil
aliud est quam realis manifestatio
divinorum attributorum ut liquet
ex dictis de possibilibus. – Possibilia
a Deo non concipiuntur nisi semet
ipsum intuendo, secundum quod est
imitabile; creatura vero est actu-
atio possibilis; ergo Deus amando
creaturas amat secundum quod
sunt manifestationes divinorum
attributorum seu amat propter
semet ipsum. Amor erga creatu-

rae est quaedam ampliatio ex parte materialis objecti ipsius principii objecti. Dici potest, quod, ut formale principium cognitionis in intelligentia est solum esse divinum, ita principium formale divini amoris sit solum divinum bonum. Ut, quia in principio formali seu in esse Divino omnia continentur, et si extrinsecus existunt propter formale principium cognoscuntur ita si caetera existant extra Deum a Deo amentur propter amorem, quo ipse amat se.

Hai quidem ex parte objecti facile apparet rem eandem demonstrari posse ex parte divinae voluntatis, quae sistere nequit in objecto finito tamquam fine ultimo, tum quia id etiam finitae voluntati non convenit, tum quia quod finis ultimus est voluntatem perficit.

Thesis III. Quamvis Deus omnia, quae ab ipso distincta sunt amet propter seipsum, id est propter manifestationem suae bonitatis dicendus tamen est, amare rationales creaturas amore benevolentiae et amicitiae modo digno divinae suae majestatis

Ad rem intelligendam duo sunt consideranda – 1°) modus, quo Deus amat res – 2°) inquirendum est utrum modus hic appendus sit amor amicitiae.

Et primo quidem amare rem aliquam est velle ipsi bonum, ergo cum quaecumque sunt bona sint quatenus sunt, et bona sint, quatenus illis Deus bonum voluit, omnis Deus dicendus est amare quaecumque sunt. At creaturis irrationalibus bonum vult Deus non ut ipsae bonae sint, sed, ut totae quantae

sunt bonae sint creaturis rationalibus, scilicet amat ipsas ut utiles non sibi, qui nullum a rebus commodum habere potest, sed ut utiles in creaturis, quas fecit ad sui imaginem intelligentem ac volentem. Creaturae rationales non ordinantur in propria perfectione ad utilitatem et commodum altioris naturae. Vult ergo illas bonas non ut utiles sed ut sint perfectae in se. Earum vero perfectio intrinseca non ordinata ad commodum naturae altioris in hoc est posita, ut ipsae in statu viae perfectae sint in cognitione et modo tendendi ad ultimam earum perfectionem et caetera ipsis subordinentur in hoc ipso, quod earum illuminent mentem et perficiant voluntatem pro statu termini vero vult ipsas in se bonas perficiendo in-

intelligentiam cum conjunctione sui summi veri cum cognitione sui summi boni, vult amari ab ipsis purissimo amore amicitiae, quo fiat, ut ipsae gaudeant de bono summi boni, ut bono proprio. In tali amore ita se Deus habeat, ut

a) omnia irrationalia faciat pro creaturis rationalibus, rationalibus vero consacret citra ullam sui utilitatem elevando ipsas ad summam perfectionem, communicando se ipsis, summum bonum suum, summam suam felicitatem et constituendo felicitatem ipsarum in purissimo sui amore.

Iam vero liquet dici nullatenus posse amare Deum creaturas irrationales amore amicitiae. At nomen amicitiae ac amicitiae perfectissimae tribuendum est amore divino erga

rationales. Sane, qui existens in infinita felicitate, omnia quae facit nullatenus facit in proprium commodum, sed in commodum creaturae rationalis, et creaturam rationalem elevat ad possidendam sibi propriam felicitatem communicando totum se illi atque ita, ut illa ipsum amat purissimo amore amicitiae; dicendus est habere erga illam amicitiae amorem.

Dices, at amat propter se ipsum. - Scilicet, quilibet amicus, in amando amico bonum quoque proprium amare debet. Cum sermo est de amante finito, amici bonum, amanti delectationem gignit ipsumque perficit. Hoc auferendum est ab amore amicitiae, qui Dei proprium sit. Debet quidem in amando amico creato habere in tali bono bonum proprium, sed negat habere bonum delectationis quod

ipsum perficiat, ergo amat amicum efficiendo quidquid perfectionis reperitur in amore amicitiae. At amat propter seipsum, quatenus in ipso amore entis finiti erga ipsum finitum in se perficitur et perfectum glorificat, ac manifestat divinam bonitatem.

Si bene res perpendatur amor bonitatis divinae est suprema forma cujuslibet amoris amicitiae. Amor amicitiae potest esse

a) inter pares

b) superioris ad inferiorem

c) inferioris ad superiorem.

Jam vero natura inferior seu finita amando Deum, amat sub forma divinae bonitatis, si amat amore amicitiae. Ipsa finita creatura amando ~~Deum~~ tum se ipsam, tum alias rationales finitas puro amore amicitiae amorem talem, si ordinate

procedat subordinare debet ad gloriam Dei seu ad divinam bonitatem. Si ergo ipse amor creaturae tum erga se, tum erga alias rationales, tum erga Deum, si perfectus sit non excludit in amore amicitiae rationem divinae bonitatis ut supremam formam, qua ratione excludet divinus amor, qui exhauritur ab amore infinitae bonitatis.

De libertate divina.

Thesis I. Circa finita bona, quae Deus solum propter seipsum amat, liber est libertate indifferentiae.

Libertas est voluntatis proprietas, qua positis omnibus requisitis potest voluntas velle rem, aut ejus oppositum pro lubitu.

Cum agitur de voluntate creata dici debet ipsam in indifferentia quoad diversa objecta habere indifferentiam, quoad diversos actus. Libertas praecise ut libertas non includit statum potentiae praecedentem statui actus, nec includit potentialitatem ad actus entitative diversos. At id oritur ex ipsa natura facultatis, quae libera est sed finita. Est limitatio, quae facit, ut facultas transiens de potentia ad actum, perficiatur ab objecto, ideoque in hypothesi quod sit libera perficiatur diversimode intrinsecus

secundum quod unum potius objectum elegit quam aliud. Ergo si qua sit voluntas, quae limitatione careat, haec si libera esse poterit non poterit esse
a) libera ista, ut sit in potentia ad actum liberum, neque
b) ita, ut sit indifferens ad actus liberos intrinsece diversos quoad perfectionem. Erit ergo libertas si adsit in Deo indifferentia actus perfectissimi erga objecta diversa, qua fiat ut unum prae alio eligi possit manente in actu eadem perfectione et posita variatione solum in termino volito. Libertas ergo prout praescindit a voluntate in qua est dicit solum indifferentiam prae terminis oppositis prolubitu eligibilibus. Prout est in ente finito dicit libertas potentialitatem ad actum, a quo voluntas potest transire iterum ad potentiam et dicit indifferentiam ad actus intrins.

cas diversos. Quo haec tamen solent dici ratio subjecti. Libertas porro in Deo est in quo actus est ipsa substantia divina, nec potentialitatem dicit nec diversitatem intrinsecam actuum. Neque id officit libertatis conceptui. Videri posset quod libertas divina hoc modo posita foret prorsus extrinseca cum quod indifferens est, esse et non esse sit extrinsecum. At intimius re perfecta apparebit divinam libertatem intrinsecam maxime esse etenim non est in divino actu intrinseca indifferentia ad hoc, quod habeat perfectionem volitionis vel non habeat, eo enim modo, quo in divina scientia futurorum non habetur indifferentia ad habendam perfectionem, quae est in cognitione futurorum cum adsunt et ad habendum cum non adsunt idem de ipso dici debet de divina volitione. — Ut tamen cum

aderunt, futura adest in Deo futurorum verissima cognitio et quidem maxime extrinseca ita volente Deo, quae vult et posset nolle adest verissima libertas et maxime intrinseca. — Cognitio, quae Deus futurum habet, quae si non forent non cognovissent, ut futura est Deo maxime intrinseca quia non solum actus vitalis perceptionis est in ipso, immo est ipse, sed quia ipsa perceptio habet determinationem ab ipso esse divino quod est principium formale. Humano modo loquentes species impressa et expressa prae cognitione futurorum in ipso intrinseca est maxime. At pari ergo, divinus actus volendo quod vult, intrinsecam maxime habet libertatem etiamsi non sit indifferens ad perfectionem, quae est in volendo. Divina volitio moveri nullatenus potest ab aliquo objecto extrinseco sibi ut contin-

git in nostra libera volitione in qua etsi determinatio sit a voluntate movitamentum tamen est ab extrinseco et quo majus est eo minor est indifferentia. At Deus omnia propter se atque ita omnia propter se, ut nihil alia volendo sibi intrinsecum comparari possit a quo alliciatur, ergo indifferentia in ipso erit simul intrinseca maxime et simul maxima. – Rerum existentia et ipsa possibilitas rerum, demonstrat Deum voluisse et noluisse; voluisse et noluisse libere. Unumquodque ex existentibus habet indefinita prorsus aequalia, quae non existunt, quod ergo existit libere electum est prae aliis prorsus similibus. – Praeterea si necessitaretur Deus deberet singula quaeque necessario velle ideoque deberet velle possibilia omnia et maximum finitum quod est impossibile.

Quare admittenda est in Deo libertas quoad singula quaeque finita. Dices: ad singula quaeque libera certe est divina voluntas, quatenus distributive quodlibet creare potest vel non creare. At libera est divina voluntas ita, ut non solum possit libere creare unum prae alio, sed ita, ut possit libere nihil creare? res est certissima. Sane divina voluntas nequit necessitari ad rerum productionem ita, ut res velit necessario per se ipsas, ordinaretur enim ipse Deus ad res, neque si necessitaretur ad res propter res ipsas liber esset in eligenda hac potius quam illa, ut patet ex antecedenti argumento non potest necessitari ad res propter seipsum, secus Deus dependere deberet in sui felicitate ab existentia rerum contingentium.

Dices: pendebit quidem ab existentia rerum contingentium non ut a

perficiente sed ut a conditione necessaria ad non acquirendam sed ad manifestandam bonitatem suam, quam necessario amat neque in hoc inquiunt nihil absurdi est. Deus in justitia exercenda pendet aliquo modo a rebus nonquidem a perficiente Deum sed ut a conditione necessaria attributi quod relationem habet ad creaturas.

Respondeo Deum non posse necessitari ad volendas res propter se ipsum etsi in hypothesi quod velit non possit velle nisi propter seipsum. Sane sui manifestatio et glorificatio est sui bonum finitum et externum. Omne externum bonum quodcumque sit eminenter continetur in bono ipso Dei interno. Quaelibet extrinseca gloria, ut bonum est, eminenter continetur in intrinseca, qua Deus se amat infinite et

infinite se existimat. Ideoque cum est pantheisticum dicere quod plus perfectionis in unum conjungibilis sit in Deo et in creatura quam in solo Deo ita absurdum est dicere quod divinum bonum majus sit in bono intrinseco Dei et in bono Dei ipsius estrinseco. Ergo prae Deo aequa. liter bonum est bonum intrinsecum solum et bonum intrinsecum simul cum intrinseco. At si prae Deo aequa. le est bonum intrinsecum solum et bonum infinitum simul cum finito liber omnino erit quoad finitum. Pro. pterea infinitum bonum divinum a. matur a voluntate divina necessario ita, ut infinitum bonum prout est estrinsecum exhauriat necessarium amorem divinae voluntatis secus non esset infinitum et sufficiens. Ergo prae bonis estrinsecis nihil superest nisi liber amor subordinatus. —

Demum longe perfectius est posse pro lubitu vel sui manifestationem quam debere necessario illam velle cum infinite distat ab objecto manifestando et fere nihil est prae re, quae manifestatur. Quid porro est extrinseca divina gloria existimatio quam de Deo habet creatura atque actus huic succedentes. Jam vero hoc fere nihil est et umbra est prae manifestatione infinita, quae Dei est in ipso Deo; Ergo.

Objiciunt velle et nolle sunt intrinseca enti et talia, ut unum non sit alterum. Ergo posita in Deo libertate poni debet in Deo intrinseca contingentia.

Respondeo. Concedo primam partem antecedentis, distinguo secundam, velle non est nolle spectata entitate et actualitate perfectionis – nego, spectata relatione terminorum – concedo.

Distinguo consequens – ponenda est posita

libertate contingentia in entitate intrinseca secundum rationem entitatis – nego, ponenda est contingentia entitatis intrinsecae secundum habitudinem ejusdem entitatis ad terminum – concedo.
Instant. Quod divinus actus sit volitio potius quam nolitio non potest pendere a termino diverso quia diversus ideo est, quia diversus est actus cum sua forma volentis vel nolentis. Ergo quod divinus actus sit potius volens quam nolens debet pendere ab intrinseco. Ergo erit intrinsecus quidam transitus de potentia ad actum, ergo erit contingentia in ipso intrinseco actu.
Concedo antecedens – ergo concedo probationem.
Dist. consequens. Debet pendere ab intrinseco determinante ad actum aliquam potentialitatem in ordine perfectionis et entitatis – nego, Debet pendere ab intrinseco determinante formam

habitudinis intrinseci actus ad terminum extrinsecum — concedo. Distinguo secundum consequens — erit transitus successivus praesupponens duplicem statum actualem — nego. Est transitus, quatenus actus seu entitas actus pro tota aeternitate potuerit velle aut nolle et velle aut nolle citra ullam actualitatem acquisitam in entitate sed solum habita per relationem ad terminum — concedo. Distinguo ultimum consequens. Est contingentia in actu intrinseco secundum rationem entitatis actuandae — nego, secundum habitum actus purissimi, secundum perfectionem omnimode actuati sed secundum rationem habitudinis pro libitu ponentis eam, quam actus vult — concedo.

Discrimen inter mentem voluntatemque finitam et mentem voluntatemque infinitam circa objecta contingentia

hoc est, quod in mente finita contingentia non sit solum in termino sed sit etiam in actualitate facultatis, quae determinata ab objecto ab ipso perficitur transeundo de potentia ad actum. Determinans vero primitivus non sit res sed causa rei. Intellectus autem divinus cum nequeat transire de potentia ad actum, at objectum praesupponat, habebit actus perfectionem sive res adsit sive non adsit, habitudinem autem cognoscentis habebit ob praesuppositam rei existentiam tanquam conditionem quae tamen existentia pendeat a divina voluntate aliquo modo. — Quoad voluntatem, humana voluntas ita ad diversa objecta indifferens est, ut indifferens quoque sit ad actus diversos, non tamen ad actus diversos et indifferens passive sed per active, active vero non per alium actum, quo se determinet sed

per ipsos actus volitionis vel noli-
tionis. Quare finita voluntas in determi-
natione quam assumit volendo vel
nolendo non ideo habet intrinsecam
diversitatem quia nolo et et volo sunt
diversi, sed quia est in potentia ad
actualitatem entitativam, quae est in
nolo et volo. Cum ergo in Deo actu pu-
rissimo non detur potentialitas ad
entitatem determinandam per invi-
tamentum ab objecto diverso habebitur
in ipso intrinseco actu necessitas
perfectionis ejusdem sive velit sive
nolit et virtus intrinseca assumen-
di formam volentis et nolentis citra
ullam perfectibilitatem entitatis. In
tali vetuti flexibilitate divini actus ple-
nissima adest libertas. Sane eo major
est libertas quo major est aequali-
tas ipsius actus prae objectis oppositis
et quo minus subjectum perficitur
ab objecto e duobus electo. Jamvero

1° quodcunque eligat Deus sive rerum ~~sive~~ existentiam sive non existentiam, sive existentiam aliquorum vel potius ium nullatenus perficitur et illi aequale omnino est, ut attrahens quodcunque objectum quia nullum attrahit cum sit actus volitivus perfectissive actualis secus est perfectio volentis. Ergo actus divinus assumens formam volentis vel nolentis habet maximam libertatem cujus tantum umbra est in voluntate finita

Thesis II. Divinae voluntatis vis ita est, ut ejus actus sit formaliter quidem immanens aequivalenter transiens et potens producere quaecunque vult. Posse Deum producere res extra se est evidentissimum ex dictis demonstratione existentiae Dei, posse vero producere, quaecunque possibilia sunt distributive liquet ex eo, quod potentia ipsius infinita sit. Omnipotens est

ergo Deus. At qua ratione Omnipotentiam applicat in rerum productione liquet, quod exclusa emanatione rerum ab ipso exercere potentiam, quae nullum praesupponat objectum existens fieri aliter non potest quam voluntatis nutu. Ergo voluntatis nutus, qui in se imanens actus est, extra se res producit. Hoc vero est actum divinae voluntatis esse formaliter aequivalentem transeuntem. Si potentia Dei infinita est sita in efficaci nutu quoad creationem quae materiam non praesupponit in eodem efficaci nutu ponenda est in caeteris in quibus materia praesupponitur, tum quia eadem est potentia, tum, quia secus potentiae applicatio fieret successive ex parte Dei.

Thesis III. Potentia creativa soli Deo competit. Alteri bonum est, quod alteri bonitatis

rationem communicat, creatio est prima boni communicati fundamentum caeterorum bonorum. Deo creandi vim esse praesupponimus ex dictis. Inquirendum est utrum creandi vis uni Deo competat. Certe si quaestio fiat de creando distributive quolibet finito vel de creando determinato quodnam finito etiam ~~infinito~~ infimo sed independenter a causa superiori evidentissimum est nullum ens finitum posse habere virtutem creandi. - Patet. 1° cum ens finitum quod crearet et potentiam haberet creandi quodlibet deberet posse creari aliquid perfectius se, quod absurdum est. Patet 2°, cum in hac secunda hypothesi etsi res creanda ponatur inferior ente creante finito, ens tamen finitum creari ponitur independens in agendo a causa prima quod evidentissime potentissimum ex dicendis absurdum est.

Si sermo sit de vi creandi res inferiores, creante et de vi creandi, quae sit in creante cum dependentia in ipso creationis actu a causa prima videri posset non repugnare communicationem talis vis enti finito enim quod aliquod ens creandi virtutem habeat non repugnat, quod habeat ens finitum repugnaret, quatenus vel creandi vis infinitatem inferret ratione termini, vel ratione modi ex parte subjecti. At in posita hypothesi facta est limitatio virtutis quoad terminum, facta quoque est limitatio quoad subjectum, quod se haberet cum dependentia a causa prima. – Videri ergo posset absolute non repugnare virtutis creaturae communicationem enti finito et si facto constet talem communicationem factam non esse.

Verum, respondendum est, simpliciter

repugnare communicationem virtutis creaturae cujuslibet rei etiam infimae etiam cum actuali dependentia a causa prima. Verum quidem est, quod in hac hypothesi ponatur limitatio, sed ita ponitur limitatio, ut maneat in ipsa creandi vi vera infinitatis ratio. Neque in tali hypothesi habetur contradictio maxima. Et sane a[thomum] virtutem habet, quae non applicatur pro jacenti materiae sed agit voluntatis nutu. Jam vero quod agit efficaciter nutu voluntatis non potest limitari a quantitate termini. Si non per nutum voluntatis sed per applicationem potentiae virtutem habeo ferendi mille libras, ferre potero vel mille eas, vel mille illas, vel mille istas, sed ferre non potero complexum omnium, cum vis applicanda est ipsi oneri ferendo. At si voluntatis nutu molleculam producere possum non

modo est distributive molleculæ ejusdem speciei quam non possum producere, sed nulla est determinata quantitas, qua non possim producere majorem.

264